



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB.BAR.de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Gy, 10.

28.

B. C. D.

DISQVISITIO HISTORICA
DE
SVCCESIONIBVS
PONTIFICVM ROMANO-
RVM SECUNDVM PRÆNOTATIO-
NEM MALACHIÆ HIBERNO
ADSCRIPTAM.

Quam
PRÆSIDE
SAMUELE ANDREÆ,
S.Th.D.ejusdemque Extraord.Eloqu.ac Histor.
Ord.Professore, Bibliothecario,& Eccle-
siæ Reformatæ Pastore
ordinario,

Publicè ventilandam proponit
a.d. IV. Aprilis. H.L.Q.S.

JOH. PETRUS GRAFFIUS,
MARPVGENSIS.



MARPVRGI CATTORVM
Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad.Typogr.
Anno MDCLXXVII.

B. C. D.
DISCULPTIO HISTORICA
DE
SAGGESSIONIBVS
PONTIFICVM ROMANO-
-OITATO.
RVM SECUNDVM PRÆNOMATO.
NEM MARCHIA HIBERNO
ADSCRIPTR.
T A Z A V D B
SAMUELLE ANDRE
S.T.D. eiusdem die Expositio Eborac Hiflione
Grlf. Bifoliol. Bibliotheccio Eccl. Eccl.
lis Regulatæ Pafiole
Qdibidio
Papillei summiq; pafionis
Joh Petrus Gerae
Matisse
...
M. K. P. U. R. G. I. C. A. T. A. O. R. S. M.
Tibis Salomonis Schadewaldis Adsay. T. bogo
Anno MDCLXXII.



בָּגָה

**DISQUISITIO HISTORICA
DE
S U C C E S S I O N I B U S
PONTIFICUM ROMANORUM
SECUNDUM PRÆNOTATIONEM
MALACHIÆ HIBERNO
ADSCRIPTAM.**

ùm autumno anni superioris incunente,
 iterum Romæ, post obitum *Clementis X.* ad ele-
 & ionem novi Pontificis, clauderetur conclave,
 fateor & me in illorum numero fuisse, qui even-
 tum electionis avidè exspectabant. Animo
 enim obversabatur, quòd ex quadam, sic dicta,
S. Malachiæ Hiberni prophetia, inde esset pro-
 ditura *Bellua insatiabilis*, terribili certè epithet-
 to, ut illa Dan. VII.7. Quamprimum autem rumor tulit, sedem haud
 diu vacaturam, plerisque suffragiis in unum collimantibus, & mox ex
 relatione publicâ constitut, intra mensem à decessu prioris (nempe
 19. Septembris st. N.) electum fuisse Cardinalem *Odoschalchi*, qui se
Innocentium XI. vocat, cœpi quid hominis esset exquirere, &, an
 character ille ipsi quadraret, investigare. Inveni autem, hunc *Benedi-*
cum Odoschalchi, *Comensem*, oriundum ex Mediolanensi territorio,
 III. Non. Martii anni 1645. alterâ Cardinalium electione, unâ cum
 aliis sex (quos inter etiam fuit Card. *Cibo*, quem nunc præ cæteris
 complectitur) Cardinalem Diaconum titulo *S.S. Cosme & Damiani*
 ab *Innocentio X.* fuisse creatum, atque ita maluisse *Innocentium*
 quam *Benedictum* vocari, præsertim cum *Benedictorum* inter Pontifi-

ces pleriq; fuerint maledicti, infelices & schismatici, quorum ultimus *Benedictus XIII.* Anti-Papa in schismate obiit. Fortè etiam hoc nomine boni ominis, morum integritatem simulque gratitudinem erga illum à quo in Collegium Cardinalium cooptatus erat, præ se tulit, ad imitationem predecessoris, qui pariter à *Clemente IX.* Cardinalium ordinis adscriptus, eodem nomine voluit appellari. Rependit ergo hic quod *Alexander VII.* debebat officium, pariter ab *Innocentio X.* vix biennio ante Pontificatum, in Cardinalium numerum electus, qui non reddidit, quod nomen illud tum ob *Dornam Olympiam* non esset in benedictione, neque hujus spes videbantur fovendæ.

III. Quandoquidem verò magnam reformationem aulæ & Curia Romanæ videbatur hic *Innocentius XI.* minari ipso Pontificatus initio, exigens villicationis rationes & censuras strigens in illos qui sub predecessoribus deliquerant, Nepotismum tollens, prostibula Romanensia carpentis excludens, & aperiens thesauros Ecclesiæ ad subveniendum Polonis grave bellum adversus Turcas gerentibus: haud absque injuria virtualis videbatur *bellua insatiabilis* vocari, maximè ubi religiosis exemplar *avlagreias* datus, ad majorem bonorum communionem eosdem adstringere conabatur.

IV. Itaque scrupulus hic injectus fecit, ut introspicere istam prophetiam penitus, & totam Pontificum seriem secundum designationem illorum symbolorum meditando persequi intenderem, quod sic nossem, anne felissimè in aliis ista prædictio, & quodnam esset symbola hæc interpretandi fundamentum, quæ primùm legeram in *Gabrielis Bucelini*, Monachi Benedictini & Prioris S. Johannis in Veldkirch, *Nucleo Historiae Universalis*, post fusi exposita & ventilata deprehendi à *Francisco Carriere Aptensi Minorita*, sub fin. *Historia Chronologica Pontificum Rom.* pag. 446 & seq. Qui quamvis eadem varie exagit, id tamen ita facit, ut sibi ipsi contrarius, nunc ajat, nunc negat, atque id ipsum quod rationibus in dubium vocat, approbet ac confirmet. Quod pertinet illa in ipso libelli titulo (cujus altera editio *Lugduni Galliæ* prodiit anno 1663.) præscriptio solennis, cum præstatione futurorum ex S. Malachia.

V. De quâ idcirco etiam nunc disquirere animus est, idque ita, ut quedam de auctore & auctoritate hujus vaticinii præmittantur, quare in Ecclesia Romana obtinet; tum ipsum certis cognominibus & sym-

& symbolis futuros Pontifices designans, oculis curiosorum subjiciatur, una cum conjecturis de horum applicatione ad successionem præteritam, quam ex historia Pontificum dudum petiverunt, ut non sine aliquo dissensu, illi qui his symbolis aliquid detulerunt & imposterum voluerunt deferri.

VI. Et quidem, unde de prompta emerserit prætensa hac de furiis enunciatio, nemini, quod quidem Carriere sciat, in comperto est. Imò vult, ne quidem P. Ciacconium Dominicanum, qui hanc evulgavit, symbola quoque in Chronologia sua Pontificum interpretatus est, id scivisse, quod silentio alias non obvolvisset, ne injustus veritatis detentor audires apud litteratos, hosque maxime, quibus ex ejus scriptis innata est prurigo scribendi de hac, ut ajunt, Prophetia, quales dicit citari Arnoldum Wionum lib. 2. de arbore vita cap. 40. Boucher Doctorem Theol. Archidiaconum Tornacensem in corona sua mystica typis data 1623. Thom. Messingham Irlandorum Parisensi collegio Præfectum, in suo Sanctorum Ibernia florilegio, & Angelum Mantiques in Chronico suo. Et hinc in eundem Ciacconium invehitur, quod utut noluerit, imò nequiverit, authorem exprimere aut indigitare, debuerit saltem originem producti & diffamati istius Vaticinii notare, aut unde illud ipse eruisse aperire, an ex manuscripto S. Malachie aliquove ejus commentatore, vel à famosa quadam bibliotheca. De quibus omnibus tacerendo (ita pergit Carriere) os cæteris occludit, mihi que aperi ad concludendum, quod si in subiecto Papa!i Papa dubius censetur nullus; quæ de longissimâ Pontificum serie obtrudantur ab incerto & incognito Vaticinatore, fictitia, ruinosa, apocryfa, & nullius momenti sunt, saltem apud cordatos & probati ingenii & autoritatis viros.

VII. In quibus tamen ille mihi videtur nimium communi, & gentis suæ erga Hispanos, & Ordinis sui in Dominicanos, affectui indulgere, adeoque plus quam in præmissis erat concludere. Fuit hic Alfonsus Ciacconius, Hispanus, oppido Bæticæ Astigi, quæ hodie Bæza incolis est, oriundus, historiæ in primis Ecclesiasticæ gnarus, omnisque adeo antiquitatis; cuius magnum apud se thesaurum undique collectum asservabat, & istam Pontificum Rom. unaque Cardinalium omnium seriem morti vicinus edidit, siquidem anno vulgari 1590. Romæ obiit, prout hæc omnia in Bibliotheca Hisp. pag. 242: de ipso narrantur. Habuerit ergo is in illo suo thesauro apparatus hi-

storiæ Ecclesiasticæ, & illud vaticinium, S. Malachia Hiberni nomine inscriptum, quod unde accepisset ignorabat, num plus ponderis hoc haberet, si aliam quandam famosam bibliothecam nominasset, quam si suam? Sufficit constare, non ab ipso Ciacconio esse &um aut formatum, sed quale invenerat, undecunque etiam sit natus, proditum. Lepida vero est imprimis illa de subjecto Papali comparatio, Papa dubius censetur nullus. Ergo quæ ab incerto & incognito vaticinatore traduntur sunt fictitia, ruinosa apocryfa & nullius momenti. Næ tum grande dubium circa quosdam ex ipsis S. Scripturæ libris orietur, de quorum authoribus non constat. Nec sine temeritate afferet Carrerius, quod dubium ideo statim fallum esse. Vaticiniis non tam auctor quam eventus afferit momentum, ex quo etiam virtus cordati & probati ingenii dijudicare solent, quantum illis sit deferendum. Hinc ergo etiam hoc quod jaſtatur examinetur, & cum sedes Apostolica (ut vocant) sensum suum super his non aperuerit, teneatur etiam Carrerius non nimis præfectè illa damnare, præsertim cum Chronologiam suam (ut loquitur) S. R. Ecclesiae & pedibus S. D. N. Alexandri VII. subjiciat.

VIII. Adscribitur autem hoc vaticinium S. Malachia Hiberno, contemporaneo & amico S. Bernhardi Abbatis Clarævallenensis, qui non solum aliquot epistolas ad eundem dedit, nempe 315 316. & 317. sed & eidem die quam obiit, parentavit sermone qui in transitu S. Malachia inscribitur, & in Operibus Bernhardi ejusdem p. m. 299. habetur, epistolam quoque de obitu ejus ad fratres Hibernos misit quæ 311. est, imò vitam ejus tractatu peculiari est complexus, idque rogatu Abbatis Congani, uti ex his verbis colligimus quæ sub finem prefat. leguntur: Postremò tu id mihi Abba Congane injungis, reverendus frater & dulcis amicus meus, & tecum pariter (ut ex Hybernia scribis) vestra illa omnis ecclesia sanctorum, libens obedio, præsertim quod non eloquium exigitis sed narrationem. Dabo vero operam ut ea sit pura & luculenta, devotos informans, fastidiosos non onerans. Sanè narrationis veritas secura apud me est, intimata à vobis, haud alia proculdubio protestantibus, quam quæ certissime comperta sunt vobis. Unde illorum sententia evidentissime refellitur, qui (referente Vossio de Hist. Lat. lib. 2. c. 49) scriplerunt, vitam Malachia hujus ad B. Bernardum scriptam fuisse à Congano, Abate Hibernico ordinis Cisterciensis

(7)
enfis, nisi eò respexerint quòd materia ab hoc Congano fuerit Ber-
nardo suppeditata.

IX. Eorum verò quæ Bernardus de isto *Malachia Hiberno*
rogatus scripsit, summam exhibit Pet. de *Natalibus Catalogi sanct.*
lib. 10. c. 27. Ex quibus constat, fuisse illum primò monachum, vel
abbatem potius, cœnobii famosi *Bangorensis*, post *Episcopum Conno-*
ensem, tandem *Archiepiscopum Erdmacensem seu Armsachanum ac*
torius Hiberniæ primatem, sed ex humilitate archiepiscopatū episco-
patu *Dunensi* mutasse, & sic, dum ad Papam *Eugenium*, trajecto mari
pro petendo pallio festinat, apud *Claramvallem* præsente *Bernardo*
mortuum postridie Kal. Nov. die nempe omnium animarū anni 1148.
uti *Baron. n. 37. ad hunc ann. notat.* Narrantur & miracula ejus varia,
sed bonam partem ridicula. Qualia, quòd equum quendam sibi do-
no datum sed runcinum & durè portantem equitando commodiorem
effecerit, qui etiam de subnigro factus sit albus: quòd matronam,
quæ mensibus quindecim & diebus viginti prægnans erat, oratio-
ne suâ ad puerperium momento adduxerit: quòd Comitem decum-
bentem, aquâ benedictâ aspersum, sine morâ surgere fecerit, sic ut
equum statim concendere valeat: quòd mulierem fluxu sanguinis la-
borantem, missis tribus pomis super quæ nomen Domini invocave-
rat, sanarit: & aliquem qui flere non poterat, maxillam suam maxilla
illius quasi blandiendo conjungens, ad continuos ferè sletus deduxe-
rit. Alia, quòd phreneticos & dæmoniacos restituerit, jubendo ut re-
tia laxarentur effecerit, ut in quo flumine intra biennium nulli pisces
capti erant, duodecim salmones caperentur, mortuos etiam excita-
xit, mitto.

X. Id huc maximè pertinet, quòd spiritus prophetiæ ipsi tribui-
tur, dum locum & tempus mortis suæ prædictus, nempe se in Clara-
valle die omnium animarum moriturum, licet id magis voti fuerit
quam vaticinii, etiamsi responderit eventus. Hinc ergo facilius pro
auctore illorum symbolorum, quibus futuri Pontifices præsignantur,
habitus, præsertim cum eorum series inchoetur à *Cælestinoli*. qui
sexennio ante obitum Malachiæ ad Papatum pervenit. An tamen sit
revera, quis dixerit? Saltem Romanensibus id creditu facile est, cum
magnum antiquarium *Ciacconium* aliosque habeant, id affirmantes.
Quos inter etiam *Bucelinum* tali coronide; *Hucusque meritisissimus*
as 33

80

de S.R.E. Archiepiscopius & Primas Hibernie S. Malachias, monacho-
rum gloria &c. Nobis id perinde, qui tantundem huic prædictioni
postulumus deferre quantum alteri huic gemellæ Abbatis Joachimi,
quam Wolfius Memorabilibus suis inseruit Tom. I. pag. 444. De quâ
aliâs, Deo volente, ex professo. Nempe in quantum ad hominem
valet, atque eventum sibi habet mirè in plerisque respondentem, etiam
indies ex quo à Ciacconio fuit publicata, minimum attentionem ali-
quam & comparationem eventus à curiosis impetrat, nec omni peni-
tus caret auctoritate.

XI. Carrerius nihilominus contra nititur in totum, illique non
divinam modò, sed omnem auctoritatem, detrahere conatur. Cujus ta-
men rationes mihi non illius ponderis videntur, ut Ciacconio propter-
ea vadimonium sit deserendum. Primo objicit quod Pseudopontifices re-
probati inserantur ordini Pontificum, atque ad instantiam, quod id
fiat cum nota simul schismatis, reponit, id bis solum fieri, nempe in
Nicolao V. & Clemente VIII. Antipapis. Contrà præcedere duos ante
Alexandrum III. & sequi unum, nempe Amadeum Ducem Sabaudiae,
qui non presignentur. Sed R. I. Non dici de illis qui sine notâ præsignâ-
tur in schismate electi, quod fuerint veri Pontifices, sed quod in suc-
cessione Pontificum compareant. Quod de schismaticis & què ve-
rum ac illis quos Carrerius pro genuinis habet, 2. Difficile fore ei-
dem, semper determinare, uter inter duos tresve Papas simul electos,
sit genuinus, utrum Liberius fuerit, an Felix? Et cum Papatus esset
triceps, an Gregorius XII. potior sit quam Johannes XXIV. vel Bene-
dictus XIII? Adeoque & tales inseri potuisse fatendum.

XII. Urget secundo, cœcos & obtusos videre, contortas, violentas
& plerunque à scopo aberrantes esse interpretationes Ciacconii, unam-
que earum diversi nominibus & gentiliciis applicari & ad instar veli
nautici ad venium contorqueri. Adhæc mutationi obnoxia esse Ma-
gnatum insignia & cognomina, ut pateat in Alexandro III. cuius
familia Bandinelli postea Paparona dicta; in Sixto IV. qui à Sabando
Magnate cognomen & arma impetravit: In Alexandro VI. de gente
Lenzolia cognominato cum insignibus Borgiae per Calistum III. ejus
avunculum, quale ex duobus cognomen & scutum objicitur symbo-
lo, quis (inquit) revelabit? R. I. Mera hæc petitio principii est.
De commoditate istarum interpretationum infra videbimus. Qui-
bus



bus nil obest, quod una illarum diversis nominibus & gentiliciis applicetur, cum præcipuum fundamentum in successione sit quærendum. 2. Nec obstat, insignia esse mutata in quibusdam familiis, unde Pontifices orti, cum ad veritatem designationis sufficiat, insignia talia aut cognomina, familiis Pontificum qui notantur, verè competere, siue jam illa sint antiqua, sive nova, sive perpetuò fuerint tributa, sive per mutationem quandam inducta.

XIII. Dicitat tertio quasi legem præscripturus: prænuntiis symbolorum characteres debent designare Pontificem futurum, qualis sit ante promotionem, non qualis in sede futurus est, jam enim effectum suum sortita est prædictio, plures autem Ciaconii interpretationes de moribus in motibus subsequitis loquuntur: Adde (pergit) quod series & ordo, immo uninominiorum numerus, non legitur in historicis fixus, qui vel ab omissione vel supputatione variat. verbi gratia in Johanne, Benedicto, Martino, Leone &c. hinc symbola locum mutant & personam, sic frustanea est elucidatio. Sed neutrum horum quicquam ad rem facit. Non prius, quia malè hic supponit, ut etiam in quinto argumento, (de quo mox) scopum harum prædictionum unicè esse, ut exinde possit futurus Pontifex dignosci etiam antequam fiat. Quis hoc dixit Carrerio, non aliud auctorem horum symbolorum intendisse, & post electionem factam jam effectum suum sortitam esse hanc prædictiōnem? Sit hic scopus in nonnullorum designatione quæ per insignia aut titulum Cardinalitium sit. Num ideo in omnibus, aut solus? Utique ipse Carrerius contrarium agnoscit in Benedicto XII. & XIII. in Urbano VI. in Felice V. in Julio II. Pio IV. Sixto V. Urbano VIII. & Innocentio X. uti infra patebit. Nec posterius majoris momenti. Nam ipsa successionis series occurrit aberrationi, præsertim cum nonnulli, etiam ex recentissimis Pontificibus, adeo clare designentur, ut ipse Carrerius non audeat refragari. Siquidem de symbolo Calisti Antipapæ dicit: Nullum hīc video enigma, sed personæ designationem per innotatos characteres, quod post rei eventum nemo non cognoscit. Idem in Clemente IV. & Johanne XXII. clarius adhuc agnoscit, nec habet quod ad symbola Honorii IV. & Cœlestini V. regerat. Quomodo ergo turbabit, quod hunc alii Johannem XII. appellant qui XIII. est, alii XXIII. qui XXIV. est? Utique non ad nomen, sed ad insignia, & familiam, & officia & titulū Cardinalatū ante Pontificatum, plerumque respicitur.

XIV. Sed quartò est ipsi argumentum panderosissimum , quod
 predictio hac concutiat Evangelium , & oppugnat Christum de die iu-
 dicis seu finem mundi in illo docentem , nemo scit neque filius hominis ; sci-
 licet ut revelet . At (infert) ex 29. futuris post Alexandrum VII. Pon-
 tificibus per totidem Symbola praesignatis , quorum nullus videbit dies
 Petri , quo enim privilegio ultimi primos superarent ? colligetur præfi-
 xum tempus iudicij . Dato enim cuilibet decennali pontificatu , supero
 essent tantum trecenti anni usque ad finem mundi , quem longè tardius
 eventurum infero ex nondum absoluto vel uno circulo aliquorum orbium
 cœlestium , quos à sua creatione unicum saltem perfecturos gyrum forme
 suanaturale convenientem (si plures non conceduntur motus completi)
 credibile esse quis non autumet ? Id vero argumentum mihi levissimum
 videtur . I. Quia Christus de die & hora loquitur , non vero de tem-
 pore indefinitè propinquo aut remoto . At qui posset quidem hanc ra-
 tione , ubi ad ultimum Pontificem esset devenire , constare , diem
 iudicij imminere , dies tamen & hora non minus absconderentur .
 Nam 2. frustra contrarium probare conatur Carrerius ex hypothe-
 sis , quod nullus Pontifex visurus sit dies Petri , i.e. annos 25. (quot
 Petro tribuunt) in Pontificatu transacturus : quod item si Pontifici
 cuilibet post Alexandrum VII. anni decem tribuantur Pontificatus ,
 anni 300. solum ad finem mundi essent superfuturi . Cur enim non
 possent ultimi primis privilegio aliquo præferri , præsertim (ex hy-
 pothesi) Petrus II. ut dies Petri I. videret ? Cur singulis annos decem
 æqualiter assignat ? Fefellit jam hoc augurium in Clemente IX. & Cle-
 mente X. quorum ille in annum solum tertium , hic paulò plus sexen-
 nio præfuit . Et fallet in sequentibus , nec poterit unquam figi hic
 calculus . Tum 3. quod finem mundi ultra annos trecentos adhuc
 removet , idque argumento à revolutione orbium cœlestium desum-
 pro , nimis securè calculum subducit , quasi orbes illos cœlestes supra
 Saturnum haberet in enumerato , ac necessariò aliquis annus Platonici
 esset constituendus .

XV. Denique quinto sic argumentatur : Stabilita credulitate vel
 tantillâ fide de cœlesti origine hujus prophetie per S. Malachiam de-
 prompta aut quemvis alium , refunditur insuffragantes gravissima ob-
 ligatio perquirendi & diligentissime examinandi , obvium quid porten-
 das symbolum , & quem de conslavi designet , quod maximam ingerere



confusionem scrupulis implexam; id autem alienum est à revelatione dé-
vina seu prophetia, quā ut docet S. Thomas 2.2. q.17. instruimur in fidē
& in nostris operibus gubernamur: pro varietate capitum tot essent prae-
meditate sensus symboli, cuius veritas unde auctoranda non constat.
Quis verbi gratia, ex symbolo Gens perversa, Borgesium eius in-
signia draco & aquila, praesentiet! Sed 1. iterum hic male supponit,
quod hæc symbola sic solum præsignificant Pontifices futuros, ut ex-
inde in electione dignisci queant, cùm tamen contrarium supra-
sit ostendit. Hinc 2. etiamsi illis divina origo tribueretur, tamen
non obligarentur suffragantes ut diligentissime examinarent, quid-
nam obvium symbolum portenderet & quem de conclavi designaret:
eo quod non constaret istum in finem fuisse datum. Et 3. si vel ex-
amen tale sponte suscepimus, maximam ingereret confusionem, scru-
pulis implexam, fieret hoc per accidens hominum inscitia, adeoque
nec prophetæ posset adscribi, cui suam tamen constaret veritas ex even-
tu, etiamsi is pluribus absconditus maneret, nemoque haec tenus fo-
ret qui detegere posset, quomodo Gens perversa, Paulum V. Papam
designaret. Fundamentum enim præcipuum veritatis in successione
quærendum, ut postea patebit. Quæ pro Ciaconio ex hypothesi
dicta sunt.

XVI. Restat, ut quid ad objectionem palmariam, ab eventu de-
sumptam, respondeat Carrerius, videamus. Ad hæc (inquit) oppo-
ni solet observata symbolorum ad electos congruentia, quæ è cœlo duntas
sat haberi potest, hancque quis non videret in avi nostri Pontificibus Ur-
bano VIII. Innocentio X. Alexandro VII. Resp. delusoriè id afferri, ex-
trinsecum enim est persona indicanda, quod tali vel tali die assumatur ad
throneum, quodque in decursu vel fine Pontificatus hæc aut illa definiat
Innocentius: Nec Alexandri regnantis scutum ex sex impressis monte-
bus hunc prænotat, ad quid enim supralucebit stella aut ramos extenderet
quercus? Si Fabius Chisini dicatur Custos Romæ que septicollis est, unde
symbolum habet Montium Custos, ex defectu unius montis corruse
prædictio. Dico præterea, Demonem sagacissimum esse in futurorum
prævisione colligenda, observantissimumque propensionum hominum &
conjectura rerum, earum etiam quæ à libero pendente arbitrio: multa
itaque prænuntiat, quæ ipse Deo permittente ita disponit & moderatur ut
prædictioni coaptentur, aut coaptata reperintur ob varias & amphibe-
logicas

logicas voces & symbola quibus illudis hominibus. Ut quid autem summum omnium Pontificem Christum post duodecim saecula statum Ecclesia sua Catholica motu proprio aperuisse Prelato Hybernia credamus, quem celavit dilecto suo Joannicui Apocalypsin dedit. Quod ergo gratis & sine fundamento dicitur, Prædictionem hanc de summis Pontificibus esse S. Malachie Archiepiscopi Iberniae, hancque observatione & fide dignam, nego cum bona via secus credentium, ne dixerim delirantium.

XVII. In quibus varia obseruo i. Confundere illum quæstiones quæ diversissimæ sunt, utrum hæc prædictio sit divina? utrum S. Malachiæ Hiberni? utrum observatione digna? Neque enim necesse est, si sit divina, ut ideo sit Malachiæ Hiberni. Aut si Malachiæ istius, ut ideo pro divina habeatur. Prout nec sequitur, si non sit divina, neque Malachiæ cui adscribitur, nullâ ideo fide aut observatione dignam esse. Aliud successio & complementum in nonnullis Pontificibus persuadet; nempe, mereri hæc symbols, undecunque tandem orta sint, si non fidem per omnia, saltum observationem & collationem cum eventu, eodem certè jure quo vaticinia Abbatis Joachimi, de quibus supra §. X. & Anselmi Episcopi Marschani de statu summorum Pontificum, Merlini (quæ etiam apud Mattheum Westmonast. ad ann. 465. leguntur) Hildegardis, Brigitte, Catharina Senensis, Nostræ dami & aliorum, quorum catalogum studiosè collectum exhibit Cel. Voet. Disp. Select. Tom. 2. pag. 1059. & seqq. Quos inter cùm etiam sit Joh. Lichtenberger Astrologus, obiter indico, esse mihi exemplar prædictionum ejus editum anno 1488. sed ex parte mutilum, cuius initio illæ dicuntur ad annū usq; 1567. extendi, de quo fortè aliæ pluribus.

XVIII. Id verò etiam noto 2. Quoad congruentiam symbolorum, videri Carrerium hanc in Urbano VIII. agnoscere, quando de illo tacet. Sed & in Alexandro VII. & Innocentio X. non ostendere, eò delusoriè provocari. Utut enim extrinsecum sit quod ad Innocentium X. indicandum adhibetur, tamen si quadret, sufficit, cùm male supponat symbola hæc ab intrinsecis unicè esse petenda, cuius contrarium ipsemet conjecturis suis postea comprobat. Ita frivolum est quod de Alexandri VII. scuto affert, numerum montium non quadrare; quod item de stella & queru argutatur; quasi ejusmodi symbola non innuerent solùm prudentibus & scrutantibus, sed necessarium fore, exprimai omnia, ut etiam quivis rem manibus palparet.

XIX. De-

XIX. Denique 3. libens largior omnia, quæ de sagacitate dæmonum in futurorum prævisione colligendâ & observandis hominum propensionibus & rerum conjuncturis, differit. Quæ tamen aut frustra afferuntur, aut eò tendunt, ut subindicit, etiam hasce adscriptas Malachiæ prænotationes Pontificum futurorum, similibus præstigiis Satanæ esse adscribendas. Quâ ratione etiam ipsa Pontificum Romanorum electio & successio, erit secundum Carrerium, inter illa multa à Dæmone prænuntiata, quæ ipse Deo permittente ita disponit & moderatur; ut prædictioni coaptentur aut coaptata reputentur ob varias & amphibologicas voces & symbola quibus illudit hominibus. In quo, si ita velit, me non habebit repugnantem, maxime reputantem, quomodo Pontificum nonnulli ad Papatum pervenerint, præsertim Silvester II. de quo sic Platina: *Pontificatum postremo, majore conatu adjuvante diabolo consecutus est hæc tamen lege, ut post mortem totus illius esset, cuius fraudibus tantam dignitatem erat adeptus.* &c. Cui Italo hæc scribenti, licet post aliquot seculorum lapsum, tamen cum pluribus aliis antiquioribus, idque in urbe, sub oculis Pontificis, post excussa scrinia & res Pontificum singulari studio indagatas, cur non potius assentiar, quam vel Onuphrio eundem perstringenti in *Notis*; vel Bellarmino lib. 4. de Pontif. c. 12. ad has nos remittenti; vel Baronio ad ann. 999. n. 6. frustra provocanti ad testimonium *Ditmari Saxonis Germani*, cùm ipsem illud erroris arguat, & ea quæ ab hoc *Ditmaro* narrantur de *Silvestro*, plus faciant ad stabiliendam quām evertendam de magicis ejus artibus traditionem; frustra etiam n. 7. alleganti epitaphium, in quo id non legitur quod in genuino lectum fuisse *Martinus antiquior*, teste eodem *Platina*, affiat; denique ex *Helaldo monacho Floriacensi* non aliud citanti elogium quām quod etiam mago tribui potest, idq; ita, ut, non absque fraude manifestâ, ad elevandum *Sigeberti* testimonium, (vel saltem insigni memorie lapsu, dum continuationem *Rob. de monte* ipsi *Sigeberto* tribuit) n. 8. affirmet, hunc post annos duecentos suum chronicon scripsisse, cùm tamen ab anno 999. ad annum 1112. in quo desinit *Sigebertus*, non nisi 1113. fuerint elapsi?

XX. Quæ sic ventilata satis ostendunt, quantum istis symbolis sit deferendum, de quorum interpretatione adhuc aliquid præmittendum est, antequam ipsa oculis curiosis subjiciantur cum expositione *Bucelini* breviore, & ampliore *Carrerii*, qui hæc ita exagitat symbo-

la, ut ipsemet saepius eadem commodiore interpretatione confirmare conetur. Fontes ergo quosdam evolutionis horum symbolorum, in antecessum ex collatione sequentium notamus. Nam designatio vel prænotatio illa futurorum Pontificum desumitur 1. A nomine familie. Id patet in *Lucio II.* *Clemente III.* *Innocentio III.* *Adriano V.* *Johanne XXII.* *Nicolao V.* *Pio III.* & *IV.* ac *Paulo IV.* 2. Ab insignibus in *Clemente IV.* *Gregorio X.* *Honorio IV.* *Felice V.* *Calisto III.* *Marcello II.* *Sixto V.* & *Alexandro VII.* 3. A patria. Id in *Urbanus IV.* planum. 4. A titulo dignitatis ecclesiastice & conditione vitæ prioris, in *Gregorio XII.* & *Martino V.* Idque in specie, velejus quam alias ante electionem obtinuerunt, in *Anastasio IV.* *Benedicto XII.* *Eugenio IV.* & *Pio II.* Vel ejus quam cum eligerentur habebant, ut in *Hadriano IV.* *Honorio III.* *Johanne XXI.* *Celestino V.* *Benedicto XI.* *Alexandro VI.* 5. A prænomine & loco commoracionis. Sic *Innocentius VIII.* prænotatur. 6. A patria & titulo officii. Sic *Calistus Antipapa.* *Lucius III.* *Innocentius V.* 7. A gradu dignitatis familie & titulo Cardinalicio, *Innocentius IV.* 8. Ab insignibus & familia. Ita *Urbanus III.* *Nicolaus III.* *Adrianus VI.* atque *Julius III.* prænotati feruntur. 9. Ab insignibus & prænomine. Sic *Bonifacius VIII.* 10. Ab insignibus & adjuncto aliquo familie. Sic *Clemens VIII.* 11. Ab insignibus & titulo officii. Locum id habet in *Gregorio VIII.* *Celestino IV.* *Martino IV.* *Clemente VI.* *Innocentio VI.* *Alexandro V.* *Paulo III.* 12. A nomine familie & titulo dignitatis Ecclesiastice. Ita videntur *Alexander IV.* *Gregorius XI.* & *Benedictus XIII.* Antipapa prænotati. 13. A prænomine & patria, *Pius V.* 14. A patre & præceptore, *Leo X.* 15. A familia & patria, *Urbanus VI.* Denique 16. ab insignibus & patria *Clemens V.* notam habet. Sunt & quidam obscurè satis & dubiè designati, ut omnino Delio natatore sit opus ad ista ex profundo Democriti puto protractenda. Cujusmodi quæ *Urbano V.* *VII.* & *VIII.* *Johanni XXIII.* (alias *XXIV.*) *Julio II.* *Gregorio XIII.* *XIV.* & *XV.* *Paulo V.* & *Innocentio XI.* hodie Papatum tenenti tribuantur.

XXI. Sunt autem symbola ista in universum CXI. ex quibus jam LXXXVI. complementum suum ab eventu habent, XXV adhuc restant implenda. Initium eorum fit à *Celestino II.* qui anno 1143. ad Papatum pervenit eo tempore quo *Malachias Hibernus* floruit, ut sic

sic facilè fuerit huic ceu authori isto adscribere, prout supra jam §. X.
notatum. In istis autem exhibendis hanc methodum sequar, ut pri-
mò symbolum proponam, tum explicationem Bucelini & Carrerii
cum epicrisi subjiciam.

Sit ergò symbolum I. EX CASTRO TIBERIS. Bucelinus. CÆ-
LESTINUS II. origine Typhernas. Carrerius. Anno 1143. Calestinus II.
designatur futurus Pastor ovilis Dominici Petriique successor hoc symbo-
lo quod prodidit oraculum Sancti Malachia, Ex Castro Tiberis. In-
terpres ejus R.P. Ciaconius Laconicè se hic habet. Calestinus II. Ty-
phernas. Quod ut intelligatur, presupponendum est, Calestinum primo
nuncupatum Guy de Castello. Castellum autem seu civitatem Typher-
nas sitam esse ad ripam Tiberis. Vix autem cordatus Lector annuet huic
interpretationi quam textui vim inferre constat. Non enim probatur
Castrum Tiberis genuinè dici Typhernæ, cùm universale restringat
ad singulare, plura enim castra ad ripam Tiberis constructa quis igno-
rat? Et si patrum solum Calisti Typhernas dicat Ciaconius, prophe-
zat ipse. Adde, oraculum istud alteri Pontifici inde oriundo coaptari
posse. Offendens ergo in ipso limine Ciaconius mihi nec aliis magnus
erit Apollo. E'πικρισις. Observa 1. Quām parum sibi constet Carre-
rius. Paulo ante negaverat hanc prædictionem esse Malachia Hiberni, & tantum non delirantes dixerat qui id crederent. Jam de hoc
symbolo contrarium, quod prodidit oraculum S. Malachia 2. Quām
ineptè Ciaconium reprehendat, quod ex explicatione Laconicâ fuerit
contentus in re evidenti. Nam Tyfernū, quod nomen Castelli
est, confundit cum Typhernate, quomodo qui inde oriundus est vo-
catur, & affingit Ciaconio, quod patrum solna Calisti (Calestini di-
cere voluit) Typhernas vocet & sic prophetet, negans argumento fu-
tili, genus posse ad speciem restringi, vel potius individuum nomine
speciei exprimi, idque in symbolicis hujusmodi ænigmatis quæ la-
tebras querunt. Utique si Tyfernū est castrum Tiberis quod Ca-
stellum vocatur, omnis quoque Typhernas erit ex Castro Tiberis ori-
undus, adeoque symbolum quadrabit. Nec obstat, posse illud alteri
Pontifici inde oriundo coaptari. Nam ille procul dubio alium lo-
cum in successione Paparum obtinebit, quæ (ut supra dixi) præci-
puum determinationis fundamentum est, etiam tum quando nil certi
de mente symboli potest afferri. Haec tenus ergo Guido (non Guy,
quod

fol 16) 90

quod Gallicum est) de Castello recte fuit designatus, nec in ullo Ciaconius offendit.

Sequitur 2. INIMICUS EXPULSIS. Bucelinus. LUCIUS II. familia Caccianemica. Carterius. Lucius II. (1144) cuius symbolum propheticum. Inimicus expulsus. Glossarius ait sic præsignari ex Bononiensi prosapia Caccianimici. At in electione sua (ejus, dicere voluit) nullum fuit obstaculum aut hostilis oppugnatio, ipseque rebellibus Romanis vexatus & quasi expulsus, non potest dici inimicos expulsi. Epixp. Quid iterum magis ineptum? Alio detorquet cum allusio ad nomen familiæ sit planè evidens. Quid hoc obstaculum electionis aut hostilis oppugnatio pertinent, cum appellativum hic nota sit proprii ejusque vicem obtineat, quod convenire potest alicui etiam si id quod significat eidem haud quadret?

Quis succedit 3. est EX MAGNITUDINE MONTIS. Bucelinus. EUGENIUS III. ex oppido Montis magni. Carterius. Eugenius III. Pisanus (1145) habet pro prænuntio symbolo, Ex magnitudine montis. Licentiosè vertit Ciaconius Mentis, quia ex magnitudine illius, cum non esset de gremio Purpuratorum, assumptus est ad thronum Petri. Quaro quo jure depravatur scriptura Prophetica, cuius apex & iota mutari non potest quin tota corruat, quis quo hominum corpus in spiritum mutabit, & de monte mentem & intelligentiam concinnabit. Epixp. Nota 1. Rursus scripturam propheticam, eadem inconstantia à Carrerio appellatam, nisi ex hypothesi fuerit locutus. 2. Bucelinum & Ciaconium dissentientes in hujus symboli explicatione, si Carrerio fides. Nam Ciaconius pro montis legit mentis atque ad animi magnitudinem refert in Eugenio, Bucelinus ad patriam Pisas, quæ cur oppidum montis magni dicantur, me fugit. Nam ipsa Pisarum urbs (referente Job. Henr. à Pflaumern Mercurii Italicæ Part. 2. p. 157.) in latissima amoenissimaque planicie est sita, quamvis à septentrione montes habeat quibus à Lucâ dirimitur, & ex adverso utcunque celsum tumulum à circumiacentibus campis surgentem. 3. Prævaricationem Carrerii, dum lectionem diversam vocat depravationem. Nam nisi dubitasset Ciaconius de lectionis veritate, non pro monte mentem substituisset. Inanis ergo Carrerii iactatio, apicem & iota non posse in scriptura Prophetica mutari quin tota corruat: enanis quoque de corpore & spiritu, monte & mente, triumphus.

Sym-



. 17 .

Symbolum 4. est ABBAS SABURRANUS. Bucelinus. ANASTASIIIS IV. ex Abate S. Rusi familia Suburra. Carrerius. [1153.]
Abbas fuerat S. Ruffi huncq; Onuphrius lib. 2. Epitomes dicit de Regione
Saburræ seu de vico Romano Savornæ, non autem de familia Saburra.
Levissima est hec interpretatio & ventis hanc concutientibus pondus
non facit: nam Anastasius in electione suâ de Canonico regularierat
Episcopus Cardinalis S. Sabinae. Et inq. Denuo nodum in scirpo
querit Carrerius. Abbatem fuisse Anastasium non potest negare.
Non item, posse eundem dici Saburranum vel Suburranum, sive id
cognomenti à familia, sive à vico Romano ferat. Quotsum ergo
pertinet, quod objicit, eundem in electione suâ Episcopum Cardina-
lem S. Sabinae fuisse? An non videt ac ipse met agnoscit, non semper
à titulo Cardinalicio peti designationem, sed & à dignitate & condi-
tione priore, familiâ, insignibus, aliisque, ut supra §. XX. ostensum?

Sequitur 5. DE RURE ALBO. Bucelinus. ADRIANUS IV.
rurali familia ex oppido S. Albani. Carrerius (1153.) Ciaconius expo-
nit, vilius natus in Anglia quæ vocabatur olim Albion ob rosas albas qui-
bus abundat; vel quia Adrianus erat Episcopus Albanensis. Peto au-
tem quo jure Episcopatus pro rure sumatur & albus color pro expressio-
ne loci seu regionis. Et hîc Carrerius scrupulum injicit nullius
momenti. Nam Ciaconii mentem male interpretatus 1. Assingit
ipsi quod episcopatum pro rure sumat, cum tamen secundum ipsum,
hoc symbolum sit compositum, atque ad duo respiciat: Derure, ad
vilem ejus originem; Albo, vel ad patriam Angliam quæ Albion di-
cta, vel ad Albanensem episcopatum. 2. Petit quo jure albus color
pro expressione loci seu regionis ponatur. Quasi hujusmodi allusio
insolens esset in regione quæ ab Albo nomen habet. Interim certum,
nomen Albionis Britanniam, non à rosis albis, sed ab albis petris pro-
montiorum, accepisse, prout insula hæc etiam passim solum creta-
ceum habet. Propius etiam accedere Bucelinum, qui locum originis
specialius determinat, nempe oppidum S. Albani, licet id dubium sit.
Nam Matheus Paris ad ann. 1154. hunc de territorio S. Albani pro-
creatūm indefinitely dicit. Guil. Neubrigensis autem l. 2. c. 6. narrat
hunc patrem habuisse clericum quendam non multæ facultatis, qui reo-
lido cum seculo filio impubere apud S. Albanum factus sit monachus.
Alii volunt hunc Nic. Breakspere (qui post Adriannus IV.) in comitatu

C

Herts

(18)
os

Hertfordiensi Langleji natum , uti diserte Lansius , Cambdenus secutus scribit , Consulat de principatu Europa pag. m. 547. Quod si ergo locus nativitatis falleret, esset ad titulum Cardinalium & Episcopatum Albanensem recurrentum.

6. EX TETRO CARCERE. Bucel. VICTOR IV. Card. S. Nicolai in carcere Tulliano. Carrer. (1159.) Victor IV. Antipapa adversus Alexandrum III. Hæreat hic interpres , qui ut se expediat , recurrit ad titulum intrusi Octaviani, quem dicit fuisse S. Nicolai in carcere Tulliano, antiquiores autem historici agnoscunt titulum S. Ceciliae. Erratq. Sit ita, hæreat hic interpres, quid tum ? Id nempe , rationem designationis latere , perinde ac in aliis quibusdam, aut dubiam esse. Quod aliis nil derogat clarioribus. Largior enim, Octavianum, quam Victor IV. dictus, Card. S. Cecilia fuisse, ob testimonium Radevici l. 2. c. 43. & 67. quamvis Platina & Blondus titulum S. Clementis ipsi tribuant.

7. VIA TRANSTIBERINA. Bucel. CALISTUS III. Card. S. M. trans Tiberim. Carrer. (1164.) PASCHALIS III. Antipapa. In sequitur hic interpres transgressionem Antipontificis, qui declinans a legibus Ecclesiæ transiliat. At id quid de Tiberino itinere , si via Transiberina sumi debet pro inordinata electione. Ergo de omnibus Antipapis idem pronunciandum erit, nullo specialiter designato.

8. DE PANNONIA TUSCIÆ. Bucel. PASCHALIS III. Ungarus Card. Tusculanus. Carrer. (1170.) CALISTUS Antipapa. Exponit Ciacon. Calistus tertius in Alexandrum Antipapa, Hungarus natione, Episcopus Cardinalis Tusculanus. Nullum hic video anigma, sed persona designationem per innatos characteres , quod post rei eveni-
tum, nemo non cognoscit. Et iux. Conjungendi fuerunt hi duo Anti-
pape, quoniam Bucelinus trajecit. Verior tamen ordo quem Carrerius sequitur. Nam Calistus Ungarus fuit, non Paschalis, qui ante Calixtum post obitum Victoris IV. electus. Alias non convenienter authores de conditione horum Antipaparum ante electionem , im-
primis de Calisto. Nam de Paschali omnes, cum antea Guidonem seu Vidonem, Episcopum Cremensem seu Cremonensem fuisse, sed Cardinalem S. Calisti antea dictum, pauci & nominatim Sigonius lib. 13. de regno Italia ann. 1164. commemorant. Unde forsitan factum, quod Bucelinus cundem cum Calisto confuderit, quem jam alii Jo-
hannes

• 6(19) 90

Iannem Episcopum Albanensem vocant, uti autor append, ad Radevicūm, cum quo consentit Aventinus lib. 6. qui Episcopum Albanum appellat: alii Joh. Sarmensem Abbatem Cardinalem ex Pannonia, ut Nauclerus: rursum alii Joh. Sirmensem ex Pannonia Abbatem, ut Blondus; quidam etiam Abbatem Strumensem uti Kranzius in Metropoli sub fin. lib. 6. & ipse Carrerius in Catalog. Pseudopontif. p. 435. & Singtonius lib. 14. de regn. Ital. ann. 1169. qui addit, eundem fuisse hominem Vngarum, quem Paschalis episcopum Tusculanum efficerat. Ex quo detortum arbitror quod Vspurgensis in Chronico hunc Iohannem Frumentum nominat. Videat jam Bucelinus, unde probet, Paschalēm antea Card. S. Merans Tiberim fuisse. Nam aut omnia me fallunt, aut hunc Antipapam, cum Anacleto II. qui Innocentio II oppositus, confudit, quem antea Cardinalem S. Mariae trans Tiberim fuisse Baron. ad ann. 1130. n. 2. commemorat.

9. EX ANSERE CUSTODE. Bucel. ALEXANDER III.
familia Paparona. Carrer. (1159) Nodus hic Gordianus quem nec ipsa Alexandri potestas dissolvit, solertiores enim interpretes harent post rei eventum in adaptando hoc symbolo Cardinali Rolando Bandinelli Senensi, cuius familia postmodum Paparona dici voluit quasi Pavarona. Suffragantibus 23. Cardinalibus, tribus tantum schisma facientibus, electus est Alexander in Custodem Ecclesiae, qui cum eleitoribus, se recipit ob tumultum in munitionem S. Angeli, in qua per novem dies obsessus fuit ab Octavianis satellitio. Papa autem quasi Anser Capitolii Custodes excitavit, & Octavianum quasi alium Brennum obdidentem Capitolium excusse & fugavit, hocque ex eventu familia ejus dicta est Paparona quasi Pavarona, forte autem symbolum id innuit. Enix. Si hic Alexander in tali periculo Capitolium occupasset, quod olim per seditionem Romæ factum, comparatio de ansere magis procederet, si modò fuerunt anseres à quibus Capitolium servatum, & non Ciconiae, ut quidam putant. Sit tamen is, si ita placet Carrerio, ansor Capitulinus, præsertim si familia ejus ideo nomen mutavit, ut Paparonai.e. ansorina vocaretur deinceps, quæ Bandinelli antea dicebatur.

10. LUX IN OSTIO. Bucel. LUCIUS III. Cardinalis Ostiensis. Carr. (1181) Ciaconius exponit Lucius III. Lucensis Cardinalis Episcopus Ostiensis. Symbolum respondet patriæ; Luca enim denominatur à luce, & sic omnes Licenses dicentur Lux aut Lucis, siue in Ostio,

si Ostium inhabitent, aut inde aliquid habeant. Et iux. Allusio evidens. Carrerii autem cavillatio frustranea. De electione ita Sigenius an. 1181. Cardinales post biduum Hubaldum Episcopum Ostiensem virum ut atate sic prudentia gravem Pontificem sublegerunt qui ut erat parva Lucensis, sic se Lucium III. appellavit.

II. SIS IN CRIBRO. Bucel. URBANUS III Cribellus, cuius insignia s̄s. Carrer. (1185.) Interpres dicit, Urbanus III. Mediolanensis familia Cribella quæ suem pro armis gerit, congruit hoc stemma gentilitio, si sola hæc familia suem assumpserit, quæ Cardinalem aut Ecclesiasticum insignem protulerit, quod nec apud Italos observabitur. Et iux. Sit ita. Sed quid hoc ad rem facit? Nempe & hic supponit, non aliò spectare hæc symbola quam ut futurum Pontificem in antecessum designent, non describant jam electum & existentem. Quod falsum esse, supra ostensum. Pontificem autem hunc antea Lambertum Cribellum vocatum & Archiepiscopum Mediolanensem fuisse, Sigenius idem ann. 1181 & 1185. autore est, post Blondum.

12. ENSIS LAURENTII. Bucel. GREGORIUS VIII cuius insignia enses, Cardinalis S. Laurentii. Carrer. (1187) Prophetat hic spiritu humano Ciacon. Gregor. VIII. Cardinalis S. Laurentii cuius insignia enses falcati, quo jure interpres pro uno ense plures accingit emblematis? quod unum pro titulo gestat. Numerus hic nec augendus nec minuendus est. Et iux. Apposite. Quasi non qui enses habet etiamensem habeat, quod ad congruentiam hic sufficit symboli ex insignibus & titulo Cardinalitio compositi. Non auget numerum Ciaconius, sed singularem applicat plurali, ipsa rei evidentia è ducente. Nam de electione hujus ita Baron. ann. 1187.n.12. Mortuo Urbano, sequenti die successit in Papatum Albertus Cardinalis Cancellarius presbyter tituli S. Laurentii in Lucina, patria Beneventanus.

13 DE SCHOLA EXIET. Bucel. CLEMENS III. Rom. domo Scholari. Carrer. (1188) Appositiè legit interpres Clem. Romanus de domo Scholares dicta. At equivocum est nomen Schola, multo plura quam familiam singularem pronuntians. Et iux. Ineptè. Quasi Ciaconius aliter legere voluisse, ac non subindicare, in voce schola alludi ad domum scholares, quæ procul dubio à schola nomen habet. Papam hunc post Platinam, Sigenius appellat Paulum Scholarem Card. civem Romanum. At Baron. ann. 1188.n.1. Paulinū Card. Episcopum Prænestinum natione Romanum.

14. DE

14. DE RURE BOVensi, Bucel. CÆLESTINUS III. familia Bovensi. Carrer. (1191) Ciaconius reddit de familia Bovensi. Ad Bullarium Romanum hanc à Bubonibus nominat, & Onuphrius legit Bubona. Discrepant non parum termini isti. Et inq. Ita est. Nam etiam Platina de hoc Cælestino, fuisse illum patria Romanum, patre Petro cognomento Bubonis. Alii familiæ nullam faciunt mentionem, sed solum quod antea fuerit Hyacinthus vel Jacynthus dictus, ut Vrspurgensis, Blondus, Sigonius & Baronius: quod Diaconus Cardinalis S. Mariae in Cosmedin, uti ex Rogerio idem Baronius ann. 1191. n. 1. quem meritò Sigonius vocat Archidiaconum, cum in officio Levitæ, i. e. Diaconatu, annos sexaginta quinque expleverit, prout ex Petro Blasensi idem Baron l. c. notat. Aliunde igitur applicatio petenda.

15. COMES SIGNATUS. Bucel INNOCENTIUS III. Comes Signia. Carrer. (1198.) Erat de domo Comitum Signia, hocque dato symbolo se eligendum presensit, quasi designatus Comes, hincque ipse in scrutinio apposuit schedulæ suæ suffraganti, fac tecum Domine signum in bonum. Concedo quidem personam indigitari. Sed in Conclave potuit alius esse Comes; plures enim in Italia hoc præfulgent honore. Et inq. Quid tum? Hunc tamen solum fuisse Comitem signatum, ut tum fieret Papa, eventus electionis docuit. Cur ergo non acquiescit Carrerius factæ concessioni? Idque eo magis, quo plus super electione novi Pontificis tunc fuit contentionis. Nam uti ex Rogerio Baronius ann. 1198. n. 1. Cælestinus successorem destinabat Joh. de S. Paulo presbyterum Card. tit. S. Prisca, cessurus ipsi Papatu etiam dum viveret. Cardinalis vero Episcopus Ostiensis nitebatur ut ipsem fieret Papa. Similiter Dominus Portuensis (verbasunt Rogerii) Episcopus Cardinalis, similiter Dominus Iordanus de Fossa nova, similiter Dominus Gratianus & ceteri omnes unusquisque pro posse suo nitebantur, ut ipse fieret summus Pontifex. Unde patet error Bzovii, in ipso lumine Annalium suorum impingentis, quando scribit ann. 1198. n. 1. hunc Innocentium III. eam sui admirationem, quamvis annos solum 37. natus esset, apud omnes excitasse, ut & Cælestinus Pontifex summo magistratu se abdicare voluerit, si modo se superstite Patres eum subrogarent: & Cælestino vitâ functo non alium digniorem judicarint Patres, cui Ecclesiam universalem committerent. Nam si hic Innocentius antea fuit Joh. Lotharius Diac. Card. S. S. Sergii & Bacchi patria

Anagninus, ex Comitibus Signia, ut vult Bzovius, quomodo is idem esse potest cum Joh. de S. Paulo presb. Card. S. Prisca, de quo Rogerius loquitur?

16. CANONICUS DE LATERE. Bucel. **HONORIUS III.**

Canonicus Lateran. Carrer. (1216) Interpres vertit H. III. familia Sabellà Canonicus S. Johannis Lateranensis. Quasi vero Lateranum sit latus. Etsi⁹. Quasi vero (inquam) in latere non possit ad Lateranum alludi, & acumen hujusmodi symbolorum ænigmaticorum non esset præcipue in amphibologia & ambiguitate significationis querendum, sub quâ olim in Oraculis spiritus mendax sæpius latere conatus.

17. AVIS OSTIENSIS. Bucel. **GREGORIUS IX.** *insignia Aquila, Card. Ostiensis. Carrer. (1227.) Interpres, G. familia Comitum Signia Episc. Card. Ostiensis, cuius insignia Aquila nigro & rubeo variegata. Sic designari personam observat, at avis est vox generica nihil que commune habet cum Cardinalatu Ostiensi. Etsi⁹. Semper eadem chordâ oberrat, immemor, esse amphibologiam hujusmodi oraculis propriam: nec designationem semper ex uno peti sed duobus etiam conjunctis, prout supra §. XX. ostensum. Qui ergo non posset Avis prænotare aquilam in hujus Papæ insignibus, & Ostiensis, quòd fuerit Episc. Card. Ostiensis?*

18. LEO SABINUS. Bucel. **CÆLESTINUS IV.** *cuius insignia Leo, Cardinalis Sabinus. Carrer. (1241) Interpres, Clemens IV. (imò Calestinus IV) Mediolanensis, cuius insignia Leo, Card. Episc. Sabinus. Animal gentilitium cum titulo Cardinalatus favent Ciacono prophetanti ad libitum. Etsi⁹. Ne nihil diceret, saltem profitendum putavit, se invitum assentiri in re plana.*

19. COMES LAURENTIUS. Bucel. **INNOCENTIUS IV.** *comes Fliscus Cardin. S. Laurentii. Carrer. (1243) Interpres Innoc. IV. domo Flisca Comes Lavania Cardinalis S. Laurentii in Lucina. Insto, Papam nunquam vocatum Laurentium, qui ante promotionem dictus est Sinibaldus de Flisca, transeat ergo metonymia quâ titulus Cardinalius denominet titularem. Fersan prævidit Malachias ardenter Innocentii zelum quo Friderico II. Imp. animosè restitit & Cardinales ad hoc rubeo pileo donavit, & inde eum flammis ferroque cedere nescium præ nominavit Laurentium. Etsi⁹. Observa i. Inconstantiam Carrerii.*

Supra

Supra pluribus conatus erat evincere, non esse hanc prophetiam Malachiæ, & id credentes, tantum non dixerat delirare. Jam ipsemet deliraret ergo, agnoscens Malachiam hoc symbolo aliquid prævidisse. 2. Ejus ineptias in hâc interpretatione, quando alteri faciliiori, & quæ stylo horum symbolorum magis quadrat, aliam substituit longè pettam, & quidem talem quam ipsemet evertit. Cur enim non æquè mihi fas sit regerere: Insto, Papam nunquam vocatum Laurentium, qui ante promotionem dictus est. Sinibaldus de Flisca?

20. SIGNUM OSTIENSE. Bucel. ALEXANDER IV. Comes Signia Cardinalis Ostiensis. Carrer. (1254) C. exponit A. IV. de Comitibus Signia Episcop. Card. Ostiensis. Hoc quadrare potest in similes ritulares. Et si pro Signia aut Signiensi ponitur signum, voces desinunt esse signa conceptuum. Signum equidens lethale P. P. adversus Manfredum in quem Episc. oppugnantem anathemata movit. Et inq. Quærit quod opponat, nec invenit, cum si attendisset ad stylum horum symbolorum in aliis, & allusionum ænigmatarum genium perpendisset, facile his ineptiis potuisset supersedere. Res enim liquida est.

21. In eo jam Bucelini & Carrerii editiones differunt. Ille quidem habet, HIERUSALEM CAMPANIAE & exponit URBANUS IV. Campanus Patriarcha Hierosolymitanus. Hic verò, TROYÆ IN GALLIA NATUS, & subjicit, (1261) Si nullum Trecensem habeat Conclave ab isto, prænotatur P. P. Et inq. Quadrat perinde utrumque. Nam hic Urbanus fuit ex Trecensi Gallica urbe, quæ in Campania sita est, oriundus, & quoq; Patriarcha Hierosolymitanus, antequam eligeretur in Papam, prout vel ex Platina & notis Onuphrii constat. Quod verò Carrerius hanc prænotationem non nisi sub conditione admitit, sit ex hypothesibus, quarum falsitas supra §. XIII. & XV. ostensa.

22. DRACO DEPRESSUS. Bucel. CLEMENS IV. cuius insignia, Aquila draconem unguibus premens. Carrer. (1264) Interpres elucidat, Clem. IV. cuius insignia Aquila unguibus Draconem tenens, loqua lac est stemmatistacente interprete & quovis also moralis expositoria ingerente ex vita Clementis. Et inq. Ergo, ubi rerum testimonia adiunt non opus est verbis.

23. ANGUINUS VIR. Bucel. GREGORIUS X. Vicecomes, insignia anguis. Carrer. (1271) Interpres Gregor. X. familia Mediolanensis

Ianensi Vicecomitum quæ anguem pro insigni gerit. Transeat eventus
haec declaratio. Prophetam obtestor, non posse dici anguinum & va-
frum, qui in Syria existens nec de Papatu cogitans; assumptus fuit Lug-
duni ex Archidiaconatu Leodensi. Eting. Nec eo sensu dicitur angui-
nus, sed ad insignia, ut alias, respicitur. Ridicula ergo haec obte-
statio. Audiat seipsum Carrerius. Loquela haec est stemmatis tacen-
re interprete. Curenim non liceat virum anguinum dicere cui anguis
pro insigni est?

24. CONCIONATOR GALLUS. Bucel. INNOCEN-
TIUS V. Gallus Ord. Prædicatorum. Carrer (1276) Addit interpres
Ordinis Prædicatorum, ludit autem prænuntius in symbolo, & fallitur
in natione, cum Tarentasienis, Burgundus aut Sabaudus potius quam
Gallus fuerit. Eting. Miror audaciam Carrerii negantis Tarentasienses
esse Gallos, eò quod sint Burgundi vel Sabaudi. Nimium hospes est
in rebus patriæ, vel gloriæ Regis sui invidet, si ignorat, quibus ille si-
nibus Galliam circumscribat, imperium Oceano, famam qui termi-
nat astris.

25. BONUS COMES. Bucel. ADRIANUS V. Ottobonus
comes Fliscus. Carrer (1276) Ciacon. Adrian. V. Ottobonus, familia
Flisca ex Comitibus Lavaniæ, ex medietate nominis inditi & qualitate
originis coagulatur symbolum Bonus Comes, hoc autem plures affi-
cere posse patet. Omittitur Vicedominus post electionem ipsâ die defun-
ctus, qui non debet omitti: fuit Minorita & Archiev. Aquensis. Eting.
Posse hoc symbolum, absolute consideratum, plures afficere, haud
dubium. Sed hoc loco & ordine positum, significat unicè hunc Adria-
num, qui & Comes & Bonus erat, dictus Ottobonus. Quis verò ille
Vicedominus, qui non debet omitti, cum omnes eum omittant? Nil de
eo Platina, Blondus, Sigonius, Bzovius. Et si eadem die mortuus
quam electus, cui bono commemorandus? Nempe quoniam Mino-
rita fuit, ex sodalitio Carrerii, nollet hoc decus ordini suo perire.

26. PISCATOR TUSCUS. Bucel. JOHANNES XXI. Pe-
trus Cardin. Tusculanus, Carrer. (1276) Risum movet literatis insulsa
haec Prædictio de Medico Hispanonensi, qui licet fuerit ante Papatum
Cardinalis Tusculanus, nequaquam tamen Thuscus fuit neq; pescator.
Eting. Ita est, sed in voce Piscatoris alludi potuit ad ejus prænomen
Petrus, uti vocatum fuisse Platina, Sigonius, Bzovius, aliquique testatur.
Nam

Nam Petrus fuit Piscator, & Piscatorem pro Petro ponit *Exochus*, non negabit Carrerius, si phrasin sub annulo Piscatoris attendat. Eodem sensu Tuscas dicitur per allusionem, quod fuerit Card. Tusculanus. Non haec insulsa sunt aut ridicula magis quam superiora.

27. ROSA COMPOSITA. Bucel. NICOLAUS III. dictus Compositus, familia Ursina, cuius insignia, rosa. Carrer. (1277) Ciac. N. III. familiâ Ursinâ quo rosam in insigni gerit dictus compositus. nullam hic proponit interpres doctrinam. Huic Ordo Minorum bonus odor fuit, mihius iste Pontifex odorifera rosa. Enīq. Hic nihil habuit quod reprehenderet Carrerius, nisi ut in eptè moneret, interpretem nullam hic proponere doctrinam. Quam tamen ipse videtur voluisse supplere, agnoscendo affectum hujus Papæ erga ordinem Minorum singularē, qui qualis fuerit, ex Summario Pontificali patet, quod temporibus Julii II. Papæ, unā cum aliis Privilegiis & statutis Fratrum Minorum, editum fuit. In quo refertur, quod ante electionem fuerit protector Ordinis Minorum, & jam Papa existens dixisse feratur, quod fratres eum offendere poterant sed ipse offendere non poterat contra fratres. Quod item, ad declarandum dubia Regulæ eorundem Minorum, cunctis aliis negotiis prætermissis, ferè duos menses impenderit, atque sic ediderit illam præclaram, maturam & perspicuam constitutionem, quæ incipit: *Exiit qui seminat &c.* Quod denique suis Bullis, constitutiones Papæ Honorii III. & Gregorii IX. de regula & stigmatis Francisci, confirmarit.

28. EX TELONEO LILIACEI MARTINI. Bucel. MARTINUS IV. cuius insignia lilia, thesaurarius S. Martini Turonensis. Carrer. (1281.) Ciacon. subscripsit Martin. IV. cuius insignia lilia. Canonicus & thesaurarius S. Martini Turonensis. Crediderim adjectivum liliacei ad distinctionem Ecclesiarum S. Martini positum potius quam ad prænotanda insignia Papæ, Turonensis enim Ecclesia præceteris liliata dicitur, quia urbs Regia & Sedes Regum fuit. Enīq. Sit ita, sic enim illius symbolum quadrabit.

29. EX ROSA LEONINA. Bucel. HONORIUS IV. Sabellus, cuius insignia rosa à leonibus gestata. Carrer. (1281.) Recurrit enodatio ad familiam Sabellam Honorii cuius insignia rosa à leonibus gestata. Enīq. Tacet, ergo consentire videtur.

30. PICUS INTER ESCAS. Bucel. NICOLAUS IV. Pio
genus Patria Esculanus. Carrer. (1288.) Nihil hic habet Ciacon. pra-
ter regionis seu Piceni & Patria Ascoli mentionem. Ego autem non ca-
pio pronosticum istud pro Generali Minorum assumpto, neque enim Pi-
cenus seu ex Marchia Ancone dici potest Picus, neque urbs Ascoli Escas
neque Pontifex iste solus inter escas, Qui potest capere capiat. *Epius.*
Qui stylum horum symbolorum in aliis attendit, facile caput. Nam
hic Papa fuit antea cum esset Generalis Minorum Fr. Hieronymus
de Esculo dictus.

31. EX EREMO CELSUS. Bucel. CÆLESTINUS V. ex
eremita Pontifex. Carrer. (1294.) Transeat symbolum sicut in brevi
transivit celsitudo Pontificia quæ se abdicavit post quinque menses.
Epius. Et hic nil habet quod regerat.

32. EX UNDARUM BENEDICTIONE. Bucel. BONI-
FACILIS VIII. Benedictus Cajetanus cuius insignia undæ. Carrer.
(1294) Interpres exponit Bonif. VIII. vocatus Benedictus Cajetanus
cuius insignia undæ. Ex nomine mutuatur benedictionem, & ex cognome
undas; vix capio quod huic nomen proferat benedictiones, cum tot
codem insigniti pessimè audierint, & iste pejus habeatur ab Historicis de
quo vulgo dicitur intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus est ut canis,
ium dato quod familia ista Hispana dicta sit Caetana à Cajeta urbe
mari adiacente, Bonifacius erat Romanus. *Epius.* Errat Carrerius
1. Quando ex cognomine dicit undas peti in hoc symbolo, cum ta-
men ad insignia hæ respiciant, adeoque quæ de Cajeta mari adja-
cente & patria hujus Bonifacii objicit, aliena sunt. 2. Quando no-
men quod hic Papa in baptismo accepit, confundit cum nomine
quod substituit illi Pontifex factus. Nam Benedictus vocabatur ante
Pontificatum. Quotquot verò Benedicti pessimè audierunt inter
Pontifices, sic in Papatu nominabantur. Cur verò appellativè acci-
pit, quod ad nomen proprium est referendum?

33. CONCIONATOR PATEREUS. Bucel. BENEDI-
CTUS XI. Nicolaus Ord. Prædicatorum. Carrer. (1303) Silet hic
interpres postquam dixit Fr. Nicolaus Ordinis Prædicatorum: dicam
alludi cognomini Bocasinus, nam eloquentia clarnit aliisque mentis doo-
ribus quæ ex Generalatu ad summum Pontificatum evexere: forsitan qui
B. Nicolai de Patara nomen præferebat, sorsim est ab oraculo per
metony-

metonymiam cognomen Patereus. Epigr. Iterum conjecturis suis firmare conatur prænotationem quam aliás studet evertere. Ex duabus autem quas affert, posterior non incommoda est; quod alludatur ad *Nicolaum de Patara*, qui ille ipse est cuius festum 6. Decembr. solet celebrari, de quo, præter illa quæ *Hospinianus* notavit, multa habet *Pet. de Natal.* l. i. c. 33. Prior verò fundamento caret, præsertim si cognomen *Bocasini* eidem tribuatur, cùm tamen *Bzovius* ad ann. 1303. n. 13. F. Nicolaum *Bocasum* vocet, quod si quis per *Italicum bocca* (quomodo os vocant) explicet, nihilominus ad eloquentiam ineptè applicabitur.

34. DE FESSIS AQUITANICIS. Bucel. CLEMENS. V.
Aquitanus, cuius insignia fessa. Carrer. (1305) Interpres exponit C. V. natione *Aquitanicus, cuius insignia fessa erant: vanam faciunt predicationem*, qui *Burdegalum* (fortè *Burdegalam* scripsit) cuius erat *Clemens Vasconie* recensent. (fortè *accensent.*) Epigr. Quid hæ fessa sibi velint, aut significant, fateor me ignorare, adeoque hunc terminum Heraldicum peritioribus explicandum relinquorum. Nec capio Carrerii censuram. Quod si enim voluit, *Burdegalam* (cujus antea episcopus fuerat hic Clemens, tunc *Bertrandus Gottus nomine*) non esse *Vasconie accensendam*, aut si accenseatur, Clementem non posse dici *Aquitanicum*, erravit. Quomodounque enim fines *Aquitania* determinet, *Vasconia & Burdeala* ad eam pertinebunt.

35. DE SUTORE OSSEO. Bucel. JOAN. XXII. fam. Ossafutoris filius. Carrer. (1316.) Demonstrativum & non propheticum est symbolum; ponit enim ob oculos Jacobum Ossam sutoris filium, (adversensem Lugduni creatum, ubi stirps vulgo cognita. Epigr. Si demonstrativum & propheticum opponerentur, certe non potuissent prophetæ toties illud suum *Ecce ingeminare.* Sit ergo hoc symbolum propheticum, etiamsi demonstrativum.

36. CORVUS SCHISMATICUS. Bucel. NICOLAUS V.
Corbarius Antipapa. Carrer. (1328.) Interpres habet N. V. qui vocatur frater Petrus de Corbario contra Joan. XXII. Antipapa Minorista. Hoc est historiam adducere & symbolum quod unicuique Pseudopontifici potest assignari præterire: ad plenam historia notitiam vide nostrum digestum fidei fol. 1063. Epigr. 1. Semper de Minoritis suis sollicitus est. 2. Etiam per historiam symbola declarantur. 3. Non
præter

præterit signum, qui eorum explicat per nomen Corbarii, & Schismaticum per Antipapam in schismate creatum. 4. Symbolum non est, Schismaticus, quod unicuique Pseudopontifici quadrat, sed, Corvus Schismaticus, quod soli Nicolao V. Corbario.

37. FRIGIDUS ABBAS. Bucel. BENEDICTUS XII. Abbas fontis frigidi. Carrer. (1334.) Interpres exponit B. XII. Abbas monasterii fontis frigidi Diaesis Narbonensis. Plenius dicam, monachum hunc Cisterciensem verè frigidum fuisse Abbatem qui parentes non fuerit, cuiusque erat sententia, si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero. Epigr. Nempe, quia monachus fuit Cisterciensis. Si Minorita fuisset, non reprehenderet Carrerius, quod laudi potius cedebat, non foyere parentes i.e. non extollere agnatos per solum favorem, & nolle Sion in sanguinibus edificare, uti Hadrianus VI. teste Onuphrio, dicere solebat. Prior ergo sufficit applicatio, quod Abbas fuerit monasterii fontis frigidi, etiamsi hæc plenior omittatur.

38. DE ROSA ATREBATENSI. Bucel. CLEMENS VI. Atrebas, insigniarosæ. Carrer. (1342.) Interpres habet C. VI. Episcopus Atrebatensis cuius insigniarosæ. At istud gentilitium nihil habet commune cum Episcopatu, ut rosam, ne dicam rosas, denominet gentis Cannillacea. Epigr. Necdum stylum harum prænotationum assequitur, aut vult assequi. Habet istud gentilitium aliquid cum Episcopatu commune, quia unī tertio utrumque convenit. Nec plus inter rosam & rosas discriminis quam inter ensim & enses, de quo supra n. 12.

39. DE MONTIBUS PAMMACHII. Bucel. INNOCENTIUS VI. Cardin. tituli Pammachii, cuius insignia sex montes. Carrer. (1352) Interpres subscribit Innocentius VI. Cardinalis S. Joannis & Pauli tituli Pammachii, cuius insignia sex montes: alluditur ad patrum locum dictum mons in Lemovicensi solo vel ad ejus Episcopatum Claromont. simulque ad Cardinalatus titulum. diffusor mihi videtur metonymia hac quam nomen tituli sacri transfertur ad gentilitium. Epigr. Non displicent hæ Carrerii conjectaræ, qui hic demum agnoscit istas in his symbolis allusiones, quas antea saepius rejecit.

40. GALLUS VICECOMES. Bucel. URBANUS V. Gallus ad Vicecomites nuncius. &c. Carrer. (1362.) Quaratur ad hoc Oedipus. Quod enim affert Ciacon. Urbanus V. Nuncius Apostolicus ad Vicecomites Mediolanenses, extrancum est, delegatio enim ad aliquem non trans-

transfert qualitatem ejus ad Nuncium: nec ullo modo Guilelmus de Gris-
saco Abbas Victoris Massiliensis dici potest Vicecomes. Epi. Fateor
hanc explicationem esse longius petitam, adeoque aliam querendam
quoad posteriorem symboli partem. Nam in priori res evidens est.

41. NOVUS DE VIRGINE FORTI. Bucel. GREGO-
RIUS XI. Belfortis cogn. Card. tit. S. MARIAE Nova. Carrer.
(1370.) Interpres sic legit Gregor. XI. qui vocabatur Petrus Belfortis
Cardinalis S. Mariae Nova; agnosco metalepsin seu transumptionem
unius rei ad aliam ex consequentia colligendam aut ex conversione, fortis
de Virgine Nova, personam ad titulum Cardinalatus transferendo:
Rem expressius tangam si dixero, Gregorium devenisse novum Ponti-
ficem ex resolutione referendi Romanam Petri sedem quam svasit Cathari-
na Senensis virgo fortis. Epi. Ita quidem est, quod hic Pontifex suam
Catharinam Senensis Iedem Papalem Avenione Romanam retulerit, si
fides istis quæ Bzovius ad ann. 1370., n. 20. §. 26. in excerptis vitæ ejus-
dem Catharinæ notat. Sed tamen, cùm alii, nempe Platina, Blondus
& Nauclerus, id potius tribuant responso Episcopi, qui jussus ad
Ecclesiam suam redire, Pontificem, cur ipse quod juberet, non face-
ret? interrogaverat: malo priorem applicationem, ut ut metalepti-
cam, sequi, accommodatam stylo horum symbolorum, quam hanc
Carrerii conjecturam probare.

42. DE CRUCE APOSTOLICA. Bucel. CLEMENS VII.
Cardin. S. S. Apostol. cuius insignia Crux. Carrer. (1378) Clemens VII.
Antipapa. Interpres habet Clem. VII. qui fuit Presbyter Cardinalis XII.
Apostolorum cuius insignia crux. Non aperitur symbolum declaran-
do simpliciter insigne Clementis ex stirpe Comitum Geneva, ut sic enim non
est crux Apostolica, seu tituli 12. Apostolorum. Sed schisma in Clemente
cœptum & per 50. circiter annos Avenione prolongatum vera fuit crux
Sedis Apostolica. Epi. Sed Schisma non est Clemens, cui hoc tan-
quam symbolum tribuitur. Nimis verò subtiliter insignia ut sic con-
siderat, & conjunctionem insignium cum titulo Cardinalitio oppu-
gnat, cùm supra in Calestino IV. dixerit, eandem Diaconio favere.

43. LUNA COSMEDINA. Bucel. BENEDICT. XIII. de
Luna, Cardin. B. M. V. de Cosmedin. Carrer. (1393) Antipapa Petrus
de Luna Arragonius diaecesis Saragoca, Diaconus Cardinalis S. Marie
in Cosmedin, cuius gentilitium Luna, quam in instabilitate imitabatur.

• 30 •

pacem & unionem Ecclesia modo requirens, modo impediens contra prestatum juramentum. Et iux. Recte se habent hæc omnia & ad symboli confirmationem faciunt.

44. SCHISMA BARCHINONIUM. Bucel. CLEMENS VIII. Antipapa Canonicus Barchinonensis. Carrer. (1424) Clemens VIII, successor Benedicti in schismate. Benedicti duo tanum superstites Cardinales subrogant Egidium Munionem, Canonicum Barcinensem. Constat autem, recusasse nomen dignitatis, hancque impellente Alphonso Rege Arragonie suscepisse, & post 4. annos abdicasse. quare applicatur symbolum quod cum Clemente cessarit schisma. Epiph. Prior applicatio simplicior est, & sufficit, quod hic Canonicus Barchinonensis in schismate fuerit electus. Cessasse hoc in eodem, symbolo haud innui videtur.

45. DE INFERNO PRÆGNANTI. Bucel. URBANUS VI. Pregnatus, natus in loco qui infernus dicitur. Carrer. (1378) Interpres referat Urbanus VI. Neapolitanus natus in uico qui dicitur infernus. Non hic stat summa enigmatis: quero quid parturiat iste infernus per Bartholomaum Prignanum, odia, vindictas immanes, immersionem quinque Cardinalium saccis inclusorum &c. Epiph. Si non acquiescit Carrerius interpretationi simplici, sed infernum in quo natus hic Pontifex, ceu omen, ad mores ejus velit referre, per me quidem licebit.

46. CUBIS DE MIXTIONE. Bucel. BONIFACIUS IX. Thomacellus cuius insignia cubi. Carrer. (1389) Interpres legit Bon. IX. de familia Tomacella Genuensis cuius insignia cubi. Quero unde extra-est & quâ mixtione solidantur. Epiph. Ineptè. An necdum stylum horum symbolorum assequitur, & conjunctionem Grammaticam ac verbalem circa Physicam & realem, cùm tot ejus fuerint in superiobus exempla?

47. DE MELIORE SYDERE. Bucel. INNOCENTIUS VII. de Melioratis, cuius insignia sydus. Carrer. (1404) Ciaco. subscribit Innoc. VII. vocatus Cosmas de melioratis patria Sulmonensis in regno Sicilia, cuius insignia sydus; sepè jam vidimus domum & gentilitium enucleare Symbolum tantisper obscuratum. Epiph. Recte. Sed non ubique id agnovit Carrerius, cùm res v.g. in Lucio II. Urbano III. Greg. VIII. Clem. III. evidens esset.

48. NAU-



48. NAUTA DE PONTE NIGRO. Bucel. GREGO-

RIIUS XII. Venetus, præses Ecclesia Nigropontana. Carrer. (1406) Interpres habet Greg. XII. Venetus dictus Angelus de Carrerio Commendatarius Ecclesia Nigri Pontis. Quare cur nauta quæve relatio nauta ad prefecturam Ecclesia? Modernus Chronologista Gallus nuncupat hunc de Carriere, movet ergo me cognominis identitas ut ejus symbolum enucleem; nautam dico, quia Venetie mari immersæ cives suos sic facit compellare sapientes assidentes navigiis quam terræ quorum numerus intra septa civitatis mille quadringenta excedit, quibus canales obeundo quadringentis & quinquaginta pontibus distinctos necesse est ut quisque nauticam calleat, si que Venetus nauta dicitur, iste autem pranunciatur de Ponte nigro, forte ob pontem adjacentem Palatio suo sic dictum. Et inq. Quæstionem ineptam, responsione emendat, dum ostendit, quomodo nauta possit Venetum notare, quamvis gryphus Grammaticus sit, Venetia mari immersæ cives suos sic facit compellare. Quare autem potius à Ponte nigro, quam ab Ecclesia Nigropontana, ratio appellations de ponte nigro sit petenda, causam non video, præsertim si ad alia symbolorum horum attendam.

49. FLAGELLUM SOLIS. Bucel. ALEXANDER V. Archi-
episc. Mediolani S. Ambrosii, hujus flagellum, illius insignia Sol. Carrer. (1409) Interpres legit Alex. V. ex Creta Gracia ex Ordine Minorum Archiep. Mediolan. & Cardin. tituli 12. Apostolorum cuius insignia Sol: addam ego Solis hujus septem radios esse flagellum terra, unde David de viro à Deo protetto ait, Sol non uret te. Et inq. Applicatio flagelli longius quidem videtur petita. Cùm tamen hic Alexander fuerit Archiep. Mediolani, quod Ambrosius imprimis clarum reddidit, cui vindici potestatis Ecclesiastice acerrimo, tanquam regum castigatori, flagellum tribuunt, transeat & valeat quantum potest. Solem verò nube quadam obduxit Carrerius illo suo additamento, in quo nec sensus, nec ratio. Capiat qui potest.

50. CERVUS SIRENÆ. Bucel. JOHANNES XXIII. Card.
S. Eustachii cum cervo, Bononia Legatus, Neapolitanus. Carrer. (1410) Interpres habet Joan. XXIII. Diaconus Cardinalis S. Eustachii qui cum cervo depingitur Legatus Neapolitanus. Capiat qui poterit intentum prophetæ, dato enim quod Cardinalitus titulus per cervum innuatur, vox hac non concordat Syrena, nisi dicamus ingenium Balthasaris Cossæ indi-

indicari qui quasi Cervus fugit à Concilio Constantiens, ne promissis & fidei data de abdicando Papatu ad exterminium schismatis stare cogetur, retractus autem studio Sigismundi Imperatoris & Concilii loquebatur quasi Syrene, fallebat tamen, ideoque formato in eum processu depositus fuit. Etixq. Et hic amplior conjiciendi occasio. Cervus Eustachii haud firmo stat talo. Nec video, quomodo Sirene Legatum Bononiensem aut Neapolitanum notet. Carrerii quidem conjectura magis quadrat personæ, sed non ita stylo ordinario horum symbolorum. Ego quid de hoc diabolo incarnato (uti vulgariter eundem appellatum fuisse ex Concil. Constantiens. sess. XI. art. 6. appareat) dicam non habeo, nisi hominem qui (teste Onuphrio) nullam neque fidem norat, neque religionem, cum monstro quovis, nedum Sirenum summo jure potuisse conferri.

51. CORONA VELI AUREI. Bucel. MARTINUS V. Columna, cuius insignia columna cum corona. Card. S. Georg. ad velum aureum. Carrer. (1417) Ciacon. legit Mart. V. familia Columna Card. S. Georgii ad velum aureum. Jungo coronam auream familie titulo Cardinalitio, sic quadrat symbolum. Etixq. Unicum noto, variare titulum Cardinalitium. Nam apud Bzovium & Seff. 41. Concil. Constant. vocatur Card. S. Georgii ad velum aureum. In Catalogo autem Cardinalium, quem Bzovius idem an. 1417. n. 3. exhibet, dicitur Card. S. Georgii in Velabro. Denique Platina in Joh. 24. habet tit. ad Vellus aurum. Primus tamen verior videtur, adeoq; & symbolum quadrare.

52. LUPA CÆLESTINA. Bucel. EUGENIUS IV. Canonicus Cœlestinus Episcopus Senensis. Carrer. (1431) Interpres habet Eug. IV. Canonicus antea regularis Cœlestinus & Episcopus Senensis. Nihil hic eruitur à stemmate. Canonicatus congregationis S. Georgii in Alga sub habitu Cœlestino cum homusia & pelle lupina vel alia in signum humilitatis & solitudinis assignata, ut moris est, symbolum semiperit. Etixq. Cœlestinus Canonicus symbolum semiaperit. Sed qui Lupa possit in habitu Cœlestino cœruleo, cum homusia & pelle lupina queri, non capio, aut invenio.

53. AMATOR CRUCIS. Bucel. FELIX V. Dux Sabaudia Amadeus cuius insignia crux. Carrer. (1439) Interpres subscripsit F. V. qui vocabatur Amadeus Dux Sabaudia, cuius insignia crucis quaro, cur amator crucis? non ideo tantum quia consignatio Ducatus Comiti

Comiti Geneva Ludovico primogenito suo secessit in solitudinem Ripalda Diœcesis Lanzana, sed quia inde à Concilio Basileensi adductus & declaratus Papa, cessit ob amorem crucis Nicolao V. & renuntiavit. Et inq. Vera hæc omnia, sed impertinentia, dum iterum frustra querit connexionem realem in symbolo, quod ex prænomine & insignibus componitur.

54. DE MODICITATE LUNÆ. Bucel. NICOLAUS V. Lunensis humiligenere. Carrer. (1447) Interpres legit N. V. Lunensis de Sarsana humilibus natu parentibus. Luna qua Diœcesi nomen confers urbs fuit aquata solo, ex cuius ruinis facta est Sarsana, ut scribit e Avititomo 3. Cosmographia. Inde natus N. est de modicitate Luna. Et inq. Rectè.

55. BOS PASCENS. Bucel. CALLISTUS III. insignia, bos pascens. Carrer. (1455) Interpres C. III. Hispanus cuius insignia bospascens: Alphonsus Borgia jure consultissimus loca maritima Turcarum depastus est. Et inq. Ineptè. Sufficit symbolum ad insignia referri, neque bellum, quod Turcis magno animo, etiam antequam Pontifex fieret agitatum, indixit, hue ullatenus pertinet.

56. DE CAPRA ET ALBERGO. Bucel. PIUS II. Secretarius Cardinalium Capranici & Albergati. Carrer. (1458) Ciac. P. II. Senensis qui fuit à Secretis Cardinali Capronio & Albergato. Quàm extrinsecum sit hoc ad promotionem supremam qua sic prænuntiatur quis non videt? Et inq. Sit extrinsecum, dummodo quadret, ut evidens.

57. DE CERVO ET LEONE. Bucel. PAULUS II. Praes ecclesia Cerviensis, Cardinalis S. Marci qui Leo dicitur. Carrer. (1464) Interpres sic habet. Paul. II. nobilis Venetus, qui Ecclesia Cerviensis Commendatarius fuit, & Cardinalis tituli S. Marci, itaque ex Cardinalatu & diœcesi coaptatur symbolum. Et inq. Ita est. Sed Marcus Leo dicitur, quia per hunc apud Venetos repræsentatur, ex quatuor animalium Ezech. 1. 10. ad quatuor Evangelistas receptâ applicatione.

58. PISCATOR MINORITA. Bucel. SIXTUS IV. Piscatoris fil. Minorita. Carrer. (1471) Ciacon. S. IV. Piscatoris Gennensis filius, Franciscanus. genus & ordo verificant symbolum ejus qui per singularē eloquentiam in prædicando piscator fuerat amicitia nobilissima familia in Sabardia Roborea seu du Rövere que gentilitas sua & cognoscere

mene i transmisit. Et iug. Sigenus & ordo verificant symbolum, quid
inceptias insuper pescari attinet? Quis unquam pescatorem amicitia
audivit?

59. PRÆCURSOR SICILIÆ. Bucel. INNOCENTIUS VIII.
Ioan. Baptista aulicus Regis Siciliæ. Carrer. (1484) Interpres innoc. VIII.
ex nobili familia Genuensi Cibo vocatus Johannes Baptista, & vixit
in curia Regis Alphonsi Siciliæ. Nomen Bapiſtæ & famulatus id ex-
ponunt. Omnes ergo qui baptista dicuntur præcurſores erunt. Et iug.
Non, sed omnis qui Joh. Baptista vocatur, poterit nomine præcur-
ſoris designari, quod sufficit.

60. BOS ALBANUS IN PORTU. Bucel. ALEXANDER VI.
cujus insignia Bos, (ardinalis Albanus & Portuensis. Carrer. (1492)
Ciacon. Alexander VI. Rodericus Borgia dictus ex materno suo avunculo
Calisto III. qui ex gente Lensolia ortus erat, Episcopus Card. Albanus &
Portuensis. Itaque ex cognomine & gentilitio Borgiano, bos & ex duo-
bus Episcopatibus, cetera bos equidem lascivius qui in Italie desolatio-
nem, ut nothos suis exaltaret, natus visus est. Et iug. Verissimè, se-
cundūm epitaphium eidem à Sannazario scriptum lib. 2. epigram.
Fortasse nescis cuius hic tumulus siet &c. Sed præter mentem symboli.

61. DE PARVO HOMINE. Bucel. PIUS III. Piccolomini.
neus. Carrer. (1503) Ciacon. P. III. de familia Piccolomini. Addit. Onuph.
in Epitome, brevis Pontificatus 26. dierum, sed ingens gloria, non
ergo parvus homo qui & nepos Pii II. Et iug. Iterum aliò refert quām
oportebat, & appellativè accipit quod propriè intelligendum. Picco-
lomini Italicè parvum hominem notat. Ergo & contrà.

62. FRUCTUS JOVIS JUVABIT. Bucel. JULIUS II.
insignia quercus arbor Jovis. Carr. (1503.) Interpres Jul. II. Ligur seu
Saonensis, cuius insignia: quercus Jovis arbor. Apertius expono. Ju-
lius nepos erat Sixti IV fuitque Novitus Minorita Perusiae. Sixtus ju-
vit ad promotionem, vel iste designatus per querum juvabit Ecclesiam
bonae ius recuperando ab occupantibus, & Gallos ab Ecclesia explodendo,
& quorum potentia timebant Principes Italie. Et iug. Omnia hæc con-
torta sunt. Aliud arbor Jovis, aliud fructus Jovis. Et si juvabit ad
promotionem Sixti IV. referatur, erit is Jupiter, aut fructus Jo-
vis. Nec ille iuvit ecclesiam qui eandem bellis gravissimis implicuit &
totius Italiz statum turbavit. Aliam ergo applicationem acutiores
quarant.

63. DE

63. DE CRATICULA POLITIANA. Bucel. LEO X.

Laurentii Medicis filius, Politiani discipulus. Carrer. (1513) Ciacon.
Leo X. filius Laurentii Medicis & Scholaris Angelii Politiani. Puerile
hoc dico quia ad Grammaticam recurrit & colludit in nomine Parentis.
Abecedarium sapit. Et iux. Quæro, num puerile sit & Abecedarium
sapiat, aliquem per Parentem & præceptorem designare? Et annon
craticula denotare potest Laurentium, cùm S. Laurentius martyr
in cå sub Decio tortus legatur? Qui verò Grammaticam ita conte-
mait Carrerius, dignus est, qui ad scholam Politiani ablegetur, ut
saltem ab eo interpungere discat, & scribere aliquanto politius, quām
facit, doceatur.

64. LEO FLORENTIUS. Bucel. ADRIANUS VI. Flo-
 rentii filius, insignia Leo. Carrer. (1522.) Ciacon. Adrian. VI. Hollan-
 dus Florentini filius cuius insignia Leo, quæro cur Leo prænuncierur
 qui nomen Bapiſimi retinuit, & nihil minus fuerit quām Leo timidi-
 tatis inculpatus. Et iux. Questio inepta, ad quam jam ſepiuſ re-
 sponsum. Non enim quæritur, an hæc ſymbola ſatis commode ſint
 adhibita, ſed an quadrent. Quod in hoc evidens.

65. FLOS PILEI ÆGRI. Bucel. CLEMENS VII. Me-
 dices Florentinus, cuius insignia boli & lilia. Carrer. (1523) Ciacon.
Clemens VII. Florentinus de domo Medicea cuius insignia pila & lilia:
egrè post [fortè potest] illud enucleari licet retrocedas ad Julianum
Mediceum occidum in Ecclesia S. Reparata qui Clementem utero matris
ad huc inclusum reliquit tanquam florem Patris metonymicè per pileum
agrū representati. Hoc commentus est R. Georgeu Minimus. Et iux.
Verè commentus est. Mihi utraque explicatio insufficientis videtur,
præſertim quia pila & pileus differunt. Quærant ergo alii commo-
diorem.

66. HIACYNTHUS MEDICORUM. Bucel. PAULUS III.
Farnesius, inſigne lilia cerula Card. S.S. Cosme & Dam. Medicorum.
*Carrer. (1534) Interpres legit Paul. III. Farnesius qui lilia pro inſigni-
 bus geſtat, & fuit Cardinalis S.S. Cosme & Damiani: cœrulea ſex Far-
 nesiorum lilia ex imitatione naturali pro hyacintho uſurpanter & ad
 Cardinalitium titulum S.S. Medicorum traducuntur an congruè vide-
 rit lector. Et iux. Hactenus eatenus congruè, donec melior ap-
 pli-
 catio detur.*

67. DE CORONA MONTANA. Bucel. JULIUS III.

Job. Maria de Monte. Carrer. (1550) Interpres habet Julius III. antea vocatus Joannes Maria de Monte cognomen & gentilitium rinni monsium duabus lauri coronis cinctorum, pronosticum confirmat. Erinp. Fateor & assentior.

68. FRUMENTUM FLOCCIDUM. Bucel. MARCEL-LUS II. cuius insignia frumentum, flocidum brevi Pontificari. Carrer. (1555.) Ciacon. M. II. cuius insignia cervus & frumentum floccidum, quodceterius exaruerit Pontificatus eius (leg. idq²) 21. die. Erinp. Et haec applicatio satis quadrat.

69. DE FIDE PETRI. Bucel. PAULUS IV. antea Petrus Carafa. Carrer. (1555.) Neapolitanus ex familia Charafe, id est, charra fides designatur, qui Petri sedem occupabit, & charafis. Erinp. Quid sibi vult illud, & charafis? Quadrat symbolum alias eo magis, quod dic Paulus, Onuphrio teste, ante Pontificatum Job. Petrus vocatus.

70. AESCULAPII PHARMACUM. Bucel. PIUS IV. Joh. Angelus Med. Carrer. (1560) Ciax. P. IV. Mediolanensis ex familia Medicea vocatus Angelus Medices. Peritissimus Medicina & ex Medicea gente ortus, absolvit Conc. Tridentinum, quod pro pharmaco salutis spiritualis agnoscitur. Erinp. Sed non à Gallis, alias dudum illud receperissent. Sibi ergo habeat Carrerius hoc pharmacum nil ad rem faciens.

71. ANGELUS NEMOROSUS. Bucel. PIUS V. Michael, ex oppido Boschi. Carrer. (1566) Interpres P. V. Michael vocatus natus in oppido Boschi quasi verò si vocaresur Gabriel &c. non dicere sur Angelus. Erinp. Quasi verò cum vocetur Michael, non possit dici Angelus, & hanc voce pranotari, & què ac nemorosus, aliquem qui ex oppido, quod à Nemore nomen habet, oriundus, denotat.

72. MEDIUM CORPUS PILARUM. Bucel. GREGORIUS XIII. cuius insigne medius draco, gestans Cardinalis pilas Pii. IV. à quo creatus est Card. Carrer. (1572) Ciacon. G. XIII. cuius insignia medius draco Cardinalis creatus à Pio IV. qui pilas in armis gestabat. Quid quasi influunt symbolo discretivo aliena insignia. Erinp. Causa dicta est, ut subindicetur à quo creatus sit Cardinalis hic Hugo Boncompagni, Canonista, nempte ab aliquo Mediceo.

73. AXIS IN MEDIETATE SIGNI. Bucel. SIXTUS V.

quis

qui axem in medio Leonis pro insigni habebat. Carrer. (1580) Interpres S.V. qui axem in medio Leonis gestat, quid haec significant enarrant. Minorita qui eum ab aratore Felice Perreto natum in oppido montulico suscepereunt & sublimarunt, & ne stellam polarem in medio Ecclesie inconcussum viderunt. Etaimp. Lepide. Significatio non esset satis plausa, nisi axis in polum, & signum in Ecclesiam mutarentur. Non opus ut Minoritas enarrantes audiamus. Insignia loquuntur, in quibus signum notat Leonem, quippe unum ex 12. signis Zodiaci.

74. DE RORE COELI. Bucel. URBANUS VII. Archiep. Rossanensis in Calabria ubi manna legitur. Carrer. (1590) Interpres Ioan. Baptista Castannens, qui fuit Archiep. Rossanensis in Calabria, ubi manna colligitur Principatus in quo habetur iste Archiepiscopatus Rossana vocatur, non sapit mihi calabrese hoc prognosticum, neque profuit ros Urbano defuncto die 12. Etaimp. Allusio ad Rossanam evidens, etiam si Carrerio id non sapiat.

75. DE ANTIQUITATE URBIS. Bucel. GREGORIUS XIV. utroque parente antiquissima familia ipse antiquis Urbis restaurator. Carrer. (1590) Explicat hic Ciaconius dicens G. XIV. Senatoris Mediolanensis filius dictus Nicolaus Sfondratus. Insulsum videtur hoc prognosticum cum Roma quae tot protulit Pontifices sic antiquior Mediolano 359. annis duntaxat ante Christum fundato & opera S. Barnaba religione imbufo 17. post Christum. Etaimp. 1. Roma est antiquior Mediolano. E. insulsum, hanc urbem vocare antiquam, quia tamē trecentis & amplius annis ante Christum natum fuit. Quæ consequentia? 2. Bucelinus proprius accedit quando ad familiæ antiquitatem refert & restorationem antiquitatum urbis.

76. PIA CIVITAS IN BELLO. Bucel. Nemo hucusq; explicavit. Carrer. (1591) INNOCENTIUS IX. Alludit symbolum ad tempus electionis. Roma enim partiaria Hispanice lingua adversus Galliam & Regem Navarra Henricum IV. copias militares suppeditabat, quia de pietate & religione prætexabatur bellum. Etaimp. Valeat quantum potest Gallica hæc interpretatio quæ Ciaconio Hispano nunquam in mentem venisset.

77. CRUX ROMULEA. Bucel. CLEMENS VIII. cuius insigne trabs argentea tribus segmentis interstincta ad modum Crucis Pontificis Rom. Carrer. (1592) Hippolitus Aldobrandinus à stirpe Ro-

muli per primum familie Christianum descendere notatur, si ergo erit
designet Hippolitum Florentinum, non bareo in Romuleo. E^t in p. Bucc-
lini explicationem præfero.

78. UNDOSUS VIR. Bucel. LEO XI. paralyti obnoxius.
Carrer. (1605) 70. etatis sua anni 27. diebus Papatus immersi sunt
Alexander Medicus filius Octaviani consobrinus Cosma magni Es-
truria Ducis in mediterraneo potentissimi, cùm eadem habeat insignia
consanguinei qualitatibus indicari potest, & dici undosus vir. E^t in p.
Iterum Bucelini explicatio mihi magis placet.

79. GENS PERVERSA. Bucel. PAULUS V. nemo expli-
cavit. Carrer. (1605) Camillus Borghesius Senensis laudabiliter regna-
vit 16. ferè annis, currit ergo symbolum per antiphrasin ut lucus quod
minimè laceat, neque insignia draco & aquila, et si animalia ferae
magis enucleabunt. E^t in p. Late^r ergo donec commodâ interpreta-
tione hæc gens perversa pateat. Cæterum quod laudabiliter regna-
rit, Veneti non agnoscent, quos temere interdicto subjicit, auctori-
tati Pontificiæ quoad temporalia immensum nocens in futurum, uti
Barclajus in *Apologia* ostendit, meritò notans audaciam Philosophiæ
Curialium, qua sceptra omnia laceffere aliquot syllogismis non vereatur.
In quibus habemus gentem perversam, quam querimus.

80. IN TRIBULATIONE PACIS. Bucel. GREGORIUS XV.
sub quo Imperium maximè turbatum, nunquam hucusque respiravit.
Carrer. (1621) Ex Bononiensi antiqua Ludovisia familia punicei scutis
tribus lemniscis seu vittis aureis oblique diffindit historia temporis decla-
rat prognosticum bellantibus enim inter se Ducibus Carolo Emmanuele
Sabaudia & Ferdinando Mantua intermixtoque Philippo III. Rege
Hispania Paulus V. Archiep. Bononiensem Alexand. Ludovisi negotia-
tores pacis delegavit ad oratores Francie & Hispanie, qui ex felici
eventu Cardinalatum à Paulo obtinuit, & toto Pontificatu bellum vio-
guit in omnibus ferè partibus Europæ. E^t in p. Et hoc valeat quantum
potest.

81. LILIUM & ROSA. Bucel. URBANUS VIII. Flore-
ninus, cui Urbi lilyum pro insigne, ipsi rosis amicissima apicula: Cæterum
respici ab Octavo videtur Urbanus IV. cuius insignia lilyum & rosa.
Carrer. (1623.) Maffens Barberinus Florentinus ejus insignia tres
apes aureas in scuto caruso insidere solent apes liliis & rosis & succum
expr-

exprimere quo nutriuntur ad satietatem, unde dicuntur metonymia lily & rosa; sicut qui auro & melle nutritur, inde dulcis & mel nuncupatur. Similiter Urbanus ex affabilitate innata lily & rosa prae nunciatur. Adde quod rosam lilio annexuit dispensando Henrietam filiam Francie liliis designatam, ut rosam, id est, Anglia Principem post modum Regem assumeret in maritum. Et iux. Sufficit Bucelini applicatio, etiamsi commenta Carrerii spernamus. Est enim illa metonymia valde dura, lily & rosa pro apicula. Nec probabit facilè aliquem auro nutriti: multo minus ideo aurum nuncupari. De affabilitate verò Urbani, designata per lily & rosam, facilius concederem Gallo, nisi Hispani reclamarent & illa quæ Nepotismi lib. 3. c. 6. leguntur. Quod verò de connubio Principis Angliae cum filia Francie (sic per Gallicismum loquitur) subjungit, nimis remotum est & alienum.

82. JUCUNDITAS CRUCIS. Bucel. INNOCENTIUS X. Cujus utinam auspiciis, reconciliatis inter se christianis, cruce signatorum exercitus contra christiani nominis hostes producti, pacem denique & jucunditatem orbi reddant uiversalem. Carrer. (1644) Joan. Baptista Pamphilus Romanus 14 Sept. quæ Exaltationis S. Crucis festum celebratur electus à 58 suffragiis hinc verificatur symbolum quod confirmant insignia quæ habent in rubeo fundo columbam argenteam ramum olivæ ore referentem tribus liliis adherentibus totidem fasciis. Prænuntiavit columba Noë cessasse aquas diluvii & iram Dei, quare qui tale habet gentilitium rectè præsignatur jucunditas Crucis, adde Innocentium definivisse esse de fide quod meritum & jucunditas crucis quantum est ex redemptore Christo ad omnes prorsus homines se extendat sic exploso Jansenismo crux jucundatur. Et iux. Bucelini votum ex parte solùm comprobavit eventus, pace quæ Monasterii conclusa. Sed cum Innocentius contra eandem protestatus sit per nuncium suum, non fuit ipsi jucunda sed crux potius, adeoque nec ad eundem pertinet. Ex conjecturis verò Carrerii primam solùm probbo. Reliquæ, præsertim de Jansenismo condemnato, ineptæ sunt & frivolæ.

83. MONTIUM CUSTOS. Carrer. (1655) ALEXANDER VII. Fabius Chigi Senensis stellam sex montibus irradiantem cum queru in armis gestat. Et iux. De eo jam supra §. XVIII. aliquid dicum. Ad montes in hujus Alexandri insignibus fuisse allusum, satis veri-

verisimile est, qui fuit antea Card. Presb. tit. S. Marie del popolo. Subjungo tamen descriptionem eorum diversam & explicationem memorabilem, quæ Nepotismi Romani lib. 3. c. 16. legitur. Digna scitis [inquit author] & valde laudata fuit explicatio scutii, sive insignium familiae Chigie, quæ duos montes, duas arbores & duas stellas comprehendunt. Montem existimabant esse Calvarium, ubi Romanorum ignominia omnium oculis exposita, & Ecclesia substantia divisa esse dicebatur. Arbor putabatur crucem representare, non Christi, sed malitiatronis, & in illa universum populum, ut de populi pecunias & substantia raseans, crucifixum videre credebant, per Nepotismi Alexandrini manus, hac de causa Romanam ingresso. Stella credebatur esse Conecta, qui civitatis ruinam presagiebat, quod eo magis credebant, quia optimè noverant eorum Alexandrorum tempore, Romanam depopulationem vel discretioni hostium fuisse subjectam.

84. SYDUS OLORUM. CLEMENS IX. dictus antea Julius Rospigliosus, presb. Card. S. Sixti, Pistoriensis, electus magno consensu d. 20. Iunii anni 1667. in locum Alexandri, à quo vix paucis ante mensibus Cardinalis erat creatus. Insignia ejus erant quatuor quadræ in scuto in quatuor partes & quales lineis transversis secto. Genius & mores sic exprimit autor relationis anonymous, scriptæ, ut arbitror, ad Regem Galliæ, in libello cui titulus, Relation de l' état de la Cour de Rome sous le Pontificat de Clement IX. pag. 10. Touchant le second point, (inquit) qui est des qualités personnelles du Pape, je suis obligé d' avouer à Votre Majesté, que de tant d'hommes que j'ay pratiqués durant toute ma vie, je n'en ay point connus qui eût des qualités plus éminentes, ny le naturel plus excellent: La clemence, la charité, la débonnaireté & la modestie luy sont si naturelles, que je ne crois pas qu'il y ait personne qui les possède en un plus haut degré &c. Mortuus est ex interiore animi, ut creditur, d. 10. Decembr. anni 1669. cum Candiam Turcis deditam paulò ante intellexisset.

85. DE FLUMINE MAGNO. CLEMENS X. antea Aemilius Altieri Romanus, & Major domus Papæ Clementis IX, à quo etiam in numerum Cardinalium electus, ipsique d. 19. Aprilis st. N. anni 1669. suffectus. Insignia ejus fuerunt sex stellæ per modum coni inversi dispositæ. Obiter nota convenientiam inter symbolum hujus & Bonifacii VIII. qui dictus Ex undarum benedictione. Quamvis


vis enim supra id aliter sit explicatum, tamen cùm hic primus Jubileum instituerit, pariter in flumine magno potuit alludi ad Jubilei sub hoc Pontifice celebrationem. Obiit mense Augusto anni 1676.

86. BELLUA INSATIABILIS. INNOCENTIUS XI. qui hodie Pontificatum tenet, de quo supra initio hujus disquisitionis actum.

Restat ut symbola reliqua unà cum clausula hujus prædictionis exhibeamus, quorū congruentiam deteget eventus, dum curiosi habent in quo ingenium per conjecturas exerceant; Est ergo

87. POENITENTIA GLORIOSA. 88. RASTRUM IN PORTA 89. FLORES CIRCUMDATI. 90. DE BONA RELIGIONE. 91. MILES IN BELLO. 92. COLUMNÆ EXCELSA 93. ANIMAL RURALE. 94. ROSA UMBRIÆ. 95. URSUS VELOX. 96. PEREGRINUS APOSTOLICUS. 97. AQUILA RAPAX. 98. CANIS ET COLUBER. 99. VIR RELIGIOSUS. 100. DE BALNEIS ETRURIÆ, 101. CRUX DE CRUCE 102. LUMEN IN COELO. 103. IGNIS ARDENS. 104. RELIGIO DEPOPULATA. 105. FIDES INTREPIDA. 106. PASTOR ANGELICUS. 107. PASTOR ET NAUTA. 108. FLOS FLORUM. 109. DE MEDIE-TATE LUNÆ. 110. DE LABORE SOLIS. III. GLORIA OLIVÆ. In persecutione extrema S.R.E. sedebit Petrus Roma (Bucel. habet Petrus II. Romanus) qui pascet oves in multis tribulationibus, quibus transactis, civitas septicollis diruetur & Iudex tremendus judicabit populum

suum.



COROLLARIA.

I.

Signum quod Constantino Magno, ante victoriā de competitorē Imperii Maxentiō reportatam, apparuit, non fuit crux Christi.

F 2. Hunc

- vol. 42) 50
2. Hunc Constantinum Pontifici Romano Romanum
et totum Occidentem donasse, ne probabile quidem est.
 3. Nimrodum Tyrannum fuisse non est verisimile.
 4. Magistratus vi non cœpit, illumque Christianus salvâ conscientiâ subire potest.
 5. Nullum monachatui præsidium, sive in Nazirætu veteri, sive etiam in nomenclatione Naziræi Christo tributa.
 6. Polygamia simultanea est illicita. Deus enim vult, ut duo tantum sint in carnem unam.
 7. Illi qui nullâ necessitate urgente, privatae vindictæ studio, ex conventione duella instituunt, auctoraculi potius quam fortes dicendi.
 8. Nullum planè mendacium est licitum.
 9. Astrologia judiciaria, ut impia et incerta, ita male probatur ex eo, quod nativitas Servatoris ortu stellæ, et designata fuerit divinitus, et hoc indicio cognita à Magis.
 10. Solem non moveri, expressè contrariatur Sacrae Scriptura.

Vult



Vult Papa Romanus Petri successor haberi,
 Illud & in totum, nemo negare potest.
 Sicut enim Petrus, Christo non semper adhaesit
 Ac Christum Dominum fassus ubique suum.
 Sic Papa Romanus simili ratione negavit
 Doctrinam Christi, deseruitque male.
 Præterea Christi Jesu non quærerit honorem,
 Artibus ast variis, insidiatur ei.
 Ergo Pontificis Romani discito mores,
 Qui JESU Christi verus amator erit.
 Pontificum verò vitam vel pessima facta
 Ex nobis, quisquis discere ritè cupit.
 Inspiciat præsens scriptum, quod suavis amice,
 Jam nobis offers, omnibus ecce lubens.
 Ergò tibi metrum cano, mi doctissime Petre,
 Est quoniam tetur, metra negare tibi.
 Hocce meretur enim virtus, doctrinaque pulchra
 Quam concessisti, Petre, labore tuo.
 Quod superest precor, ex animo tibi Petre, fidi,
 Sit Christus Iesus, unica Petra tibi.
 Hancce super Petram, funda nunc omnia, Petre,
 Ah mihi revera sic Petrus esse potes.
 Exemplo Petri, respicat sed Papa verè,
 Ne Christi Jesu spiritus huncce necet.

Ita Dn. Respondenti amico singulari aplaudebat

JOH. PHIL. STOLBERG, S. S. Theol.
Stud. Oppon.

Ngeniō quō sis, quā sis pietate coruscus;
 Nomine dum Petrus Pseudo-petri impictates
 Audaces prodis, prodis, charissime Amice!
 Gratulor hinc igitur, nec non de pectore Summum
 Numen adoro, Tuos conatus dirigat Ipsum.

Panca hac pereximio Dn. Respondenti, Amico suo perdilecto
conscribere voluit, debuit

J.S.G.Th.St.

Wer der Tugend sich ergiebet,
 Und nicht spahret müh noch fleiß,
 solcher wird mit recht geliebet
 durch den ganzen Erden kreiß.
 Recht dann hastu dich ergeben,
 wehrter Freund der Tugendbahn/
 zu gefallen ihr zu leben/
 von der jüngsten Jugend an.
 Durch dieselbe wirstu kommen,
 weil du fährst so eifrig fort/
 wo gelehrte / wo die frommen/
 finden den erwünschten Port.

So bediente seinen sehr wehrten Freund
 J. G. HEINIUS, Phil. St.

Quæ sit, aut quondam fuerit per ævum
QVita Paparum, quis honos, quis astus,
 Ausus & quantus dederit cruentas
 Sæpe sagittas;
 Quām sit ingentum pelagus malorum
 Papa, Tu monstras, serie paratâ,
 Docte mi GRAFFI, Decus, & futurum
 Stemmatis astrum.

Ergo iam cceptis bene perge tantis:
 Apprecor faustè: Tibi magna ominatur
 Magnus Mdsarum Sapientiaque

Præses Apollo.

Ita Præstantissimo atque Doctissimo Dn. Respondenti
 applaudefbat

ANDR. CARMICHEL, Cracov. Pol.

Kd 2246

ULB Halle
002 800 578

3



5b.


a.5. 1017





Farbkarte #13

B.I.G.



28.

HISTORICA
ONIBVS
OMANO-
ENOTATIO-
HIBERNO
A.
DE
ANDREÆ,
d. Eloqu. ac Histor.
cario, & Eccle-
astore
proponit
. Q.S.
RAFFIUS,
ISIS.
TTO RVM
VITZII, Acad. Typogr.
XVII.